ALEXANDER
RIBERI
A STROPPO
PHILOSOPHIÆ ET CHIRURGIÆ
DOCTOR
AMPLISSIMI TAURINENSIS CHIRURGORUM COLLEGII
CANDIDATUS
ANNO MDCCCXVI DIE VI JUNII
HORA IX MATUTINA.

Facta cuilibet a sexto argumentandi facultate.

AUGUSTÆ TAURINORUM
EXCUDEBAT JOSEPH FAVALE.

EX PHYSICA.

DE IRIDE CŒLESTI.

Naturæ phænomenon, quod tum vulgi rapit admirationem, tum Philosophi indagines allicit, iris mehercule est. Minaces tempestates excipiens, amœnam cœli serenitatem adducens, animos terrifico perturbati aëris spectaculo obstupefactos jucunde restaurat, et recreat. Poetæ passim iridem memorant, æquisque laudibus celebrant. Penes antiquitatem Sacerdotes ad sacrificia lubentius utebantur ligno, in quo iris apparuisset: censebant enim, id Superis acceptius fore extiturum, quod perhibent Plinius, et Plutarchus. Sacræ paginæ testantur, post largos imbres, quibus tellus consepulta fuit, iridem superstitibus mortalibus apparuisse veluti signum fœderis, quod Deus jam placatus cum ipsis quodammodo icere dignabatur. Metheoron veteres Philosophi attoniti contemplabantur: at certe caussam adsequi non poterant. Sed

physica, recondita pandens arcana naturæ veram iridis caussam aperuit. Fert animus nonnulla de mirabili effectu adumbrare.

I. Iridis nomine venit zona, seu vitta dimidium circulum æquans septem primariis coloribus conflata, et in nubibus posita. Iris vero tunc apparet, cum facie a sole aversa nubem aspicimus, qua se se in pluviam solvitur, et sydere illustratur, quod non ultra quadraginta duos gradus super horizontem eminet.

II. Iris illic dumtaxat se prodit, ubi labitur imber, simulque solis jubar coruscat. Licet arte cœlestem iridem imitari. Aqua guttatim prosiliat, moxque instar pluviæ relabatur: faciem a sole averte, et sic te colloca, ut cum radiis solaribus radius visionis angulum quadraginta duobus gradibus minorem constituat, iris apparebit: eo autem magis erit perspicua, si corpus nigrum pone labentem artificialem pluviam propendeat.

III. Antonius De Dominis primus perhibetur ostendisse, iridem sphæricis guttis pluviæ solis radios refringentibus primum, mox reflectentibus, iterumque refringentibus produci. Quod quidem sphæricis vitreis excipulis aqua plenis soli objectis comprobavit. Carthesius, et Keplerus Antonium De Dominis sunt secuti. Immortalis demum Newtonus lucem in septem radios perinde chemicus resolvens veritatem manifestius retexit.

IV. Gemini plerumque in iride arcus apparent: alter interior: exterior alter. Prioris colores multo

vividiores observantur. Ordo colorum sic se habet: in arcu interiori, si ab imis ad superna ascendamus, conspicimus radium violaceum, purpureum, cæruleum, viridem, flavum, aurantium, et rubrum: ex adverso in arcu exteriori omnino contrarius est ordo, adeo ut primus appareat radius ruber, postremusque violaceus. Si vero exterioris arcus colores debiliores se produnt, id ex eo derivandum, quod radii, qui eumdem arcum efficiunt, reflexionem subierint, adeoque debilitentur.

V. Iris constantissime eamdem exhibet latitudinem. Quod quidem explicatu facile: Varii lucis radii eumdem semper refractionis gradum servant.

VI. Arcus iridis nunc horizonti incumbere videtur: alias autem neque ad horizontem producitur. Etenim ubi iris apparet, non semper quaquaversus pluit. Quamobrem si pluvia omnem aërem teneat, arcus ad tellurem usque protenditur: secus arcus non erit plane perfectus.

VII. Sæpenumero iris sedem mutare observatur; quod pendet ex mutato spectatoris positu: hinc quandoque varii spectatores variam iridem vident.

VIII. Non semper eadem est iridis extensio. Scilicet nunc semicirculum præsegerit, alias autem majorem, minoremve semicirculi partem. Prout sol minus supra horizontem assurgit, majorem iridem efficiet. Quum enim pluviæ guttæ sint inter solem, et regionem cœli, in qua iris apparet, pronum est eruere, tanto fore majorem longitudinem arcus, quo minus elatus

est sol. Ex adverso prout sol versus meridianum accedit, eadem ratione imminuitur iridis extensio.

IX. Apparere non potest, si sol ultra quadraginta duos gradus adscenderit. Etenim ultra hujusmodi limitem superficies, in qua iris depingi debet, infra horizontem reperitur.

X. Interea iris numquam semicirculum superat: quum enim sol infra horizontem delitescens conspici nequeat, et iridis centrum sit constantissime linea visualis, si sol ad horizontem sit, linea memorata cum ipso horizonte congruit, adeoque supra horizontem semicirculus dumtaxat se prodit.

XI. Siquando contingat, ut aliqua nubes intercipiat ex parte propagationem radiorum ad regionem soli oppositam, in ea parte iris obtruncata, vel scissa conspicitur.

XII. Interdum iris inversa apparet, ita ut apex sit versus horizontem, et crura superiora respiciant; quod quidem tunc contingit, cum sol quadraginta et uno gradibus, et quadraginta sex minutis super horizontem elatus radios in per amplum locum diffundat, in cujus medio spectator maneat, dum imber labitur.

XIII. Vix unquam tres arcus in iride sunt observati. Hoc enim casu triplex foret radiorum reflexio, adeoque colores essent perdebiles. Tres tamen se conspexisse, testantur Halleyus, Celsius: immò quatuor se vidisse, autumat Vitellionus.

XIV. Quandoque lunaris lux iridem confecit. Quod phænomenon primus conspexit Aristoteles, a quo

accepimus, in novilunio dumtaxat apparere. Posterioribus ætatibus irides lunares observatæ sunt a Gemma Frisio, Verdriesio, Daniele Sennerto, Snellio, Plotio, Thoreskyo, Weidlero, Muschembroëckio.

XV. Caussa igitur iridis sunt radii solares, vel lunares, qui impingentes in sphæricas pluviæ guttas primum refringuntur, mox in opposita superficie reflectuntur, et dum erumpunt iterum refringuntur. Lux ita refracta idem phœnomenon præstat, quod in prysmate.

EX. ANATOME ET PHYSIOLOGIA.

DE MUSCULIS GENERATIM, MOTUQUE MUSCULARI.

Tot inter, tantaque phœnomena, quæ in hujusce orbis facie obtinent, interque magnam effectuum sensibilium vitam detegentium frequentiam nihil magis Philosophum allicit, ipsiusque curiosum animum pascit, quam facultas omnibus animantibus impertita, cujus ope moveri, et situm, relationesque, quas cum objectis externis servant, ad libitum mutare valent. Animal hac facultate cassum, ideoque nativo loco, plantæ ad instar, defixum, et injuriis circumstantium corporum evitandis impar, quid aliud nisi planta videretur? Provide adeo sibi consulens zelotypa, quo a plantis animalia longo tractu sejungeret, organa istis dedit voluntati subdita, per quæ de loco in locum migrant, varias relationes, commercia varia cum circumpositis corporibus ineunt, opportunas, gratasque res sibi comparant, noxias caute refugiunt, atque declinant, loquuntur, canunt, scribunt, ludunt,

sexcentasque alias exercent actiones. Multiplicium hujuscemodi motuum, phœnomenorumque instrumenta musculi sistunt, in quorum structuram, facultates, functionesque inquirere mens est.

I. Musculi generatim omnes ex duabus constant partibus, tendinea una, altera proprie musculari. Illa albida, dura, stipata, argenteo nitore splendens, ex subtilibus, uniformibus, productis, per cellulosam collectis fibris composita extremitates effingit: hæc crassa magis, et evoluta ex complexu fibrarum mollium, rubrarum, irritabilium, cylindracearum, diversimode dispositarum emergens, musculorum venter vocatur.

II. A fibrarum directione, ab integri musculi figura, ab ipsorum forma, ab usibus imposita fuere musculis nomina varia. Hinc alii recti, obliqui, transversi, etc.; alii pyramidales, quadrati, serrati etc.; alii teretes, alii cavi, alii adductores, abductores, sphyncteres, atque ita porro fuere nuncupati.

III. Musculi ex variis textibus struuntur. Horum alii omnibus organicis partibus communes: alii ipsis proprii sunt. Ad primos referas cellulosum, vasculare, nerveum: ad postremos fibram muscularem, quæ *caro* vulgo salutatur.

IV. Penitior musculorum compages componitur ex tot fasciculis muscularibus distinctis, textu celluloso colligatis, qui item ex fibrarum numero infinito pene conflantur. Unaquæque ex istis fibris seorsim sumpta in minimulas, hæ in alias adhuc subtiliores fi-

brillas oculorum aciem ferme effugientes dividi patiuntur. Sed post has, et innumeras divisiones habebisne fibram simplicem? Non ita: ultimam fibrillam nudis oculis obviam in alias exilissimas, et vix centesimæ millesimæ partis arenæ grani magnitudinem adæquantes dividuam esse, scripsit LEWENOECK. MONGIS, DE-HEYDE, PEARSONS, aliique microscopicis et ipsi indaginibus freti longe alias fibræ primigeniæ dimensiones tribuerunt.

V. Nec minus difficiles, et varii in determinanda fibræ elementaris forma leguntur Auctores. Nodosam MUYS: rhomboideam BORELLI: articulatam BERNOUILLI, ASTRUC, STUART: globulosam HOOK: cellularem SWAMMERDAM: tubulosam LE-CAT: vascularem, atque sanguine refertam KING, QUESNAY: solidam HALLER pronuntiarunt. Dissidentes hujuscemodi hypotheses mittimus: eas enim solertissimas investigationes erroneas, et ad aliquid certi constituendum impares, eximia fibræ muscularis tenuitas, et oculorum aciem fugiens sat arguit. Demus etiam, posse constitui; an hinc evidentius musculi motus explicarentur? Difficile dicas.

VI. Fibræ, et fibrillæ omnes musculum componentes ita vicissim coagmentatæ, in proprio situ stabilitæ, et vaginæ ad instar obvolutæ sunt a textu celluloso pro variis sedibus plus, vel minus remisso, et uberi, ut nullus animo concipi possit musculus, fibrilla muscularis nulla isto involucro, et vinculo carens.

VII. Cellulosus musculorum textus alibi leni rore imbutus, alibi vero refertus est humore pinguedinoso. Hic vero, qui fibræ flexilitatem impertitur, motusque expeditiores reddit, tanta aliquando colligitur copia, ut integer musculus tandem evanescat, desideretur *1.

VIII. Nullum ferme est in corpore systema præ musculari arteriis magis instructum. Ipsæ inter majores musculorum fasciculos primo repunt, deinde inter fibram, et fibram, ac tandem post iteratas divisiones per fibrillas distribuuntur, ibique systematis capillaris ope materiam alibilem deponunt.

IX. Insignis sanguinis copia per hæc vasa musculis suffecta eorum excitabilitatem fovet, ipsisque rutilum colorem impertitur. Hunc porro colorem sanguini potius cum textu musculari nutritionis tempore commixto, quam eidem latici in musculorum vasis adhuc circumeunti, et libero, uti aliis arrisit, tribuendum esse, non immerito contendit Bichat.

X. Musculorum venæ vel majorum arteriarum sociæ ad ipsorum superficiem repunt, vel in intima eorum-

---

*1 Hujusce generis observationes reperiuntur apud Dumas, Bichat, Richerand, aliosque. Mihi jam pridem alumno interno Magni Divi Joannis Nosocomii observare quoque contigit musculos coxæ cujusdam cadaveris ob excedentem pinguedinis copiam tam immutatos, ut lardaceæ substantiæ speciem prorsus æmularentur.

dem penetralia cum ultimis arteriarum radicibus continuantur. Ipsæ valvulis ditissimæ sunt, et frequentissimas ineunt anastomoses.

XI. Vasa inhalantia tum superficialia, tum profunda, quidquid contra docuerint Drelincourt, et Schulz, numerosissima in musculis occurrere, accuratissima tum Mekel, et Cruiksank, cum illustris Mascagni, cujus proxima fata lugent naturæ scrutatores, tentamenta invictissime probant.

XII. Confertis adeo nervosis surculis ditantur musculi, ut nulla ferme sit in corpore pars, ne visceribus quidem exceptis, quæ adeo insignes, et numerosos recipiat. Omnes sane nervi hepar petentes nec molem, nec numerum adæquant nervorum, qui ad pollicis musculos feruntur. Cæterum ipsi, arteriarum utplurimum socii, iterum, iterumque in musculorum substantia ita dividuntur, ut eorumdem fibras ad angulum acutissimum secent.

XIII. Jamvero surculi nervei, post innumeras actas divisiones cum unaquavis ex fibrillis muscularibus elementaribus, quas voluntatis imperio subditas faciunt, an conjunguntur? An cum Boerrhaave, Santorini, Cole, Cullen, Brown ab expansis nervorum extremitatibus musculorum genesis deducenda? Prima opinio probabilis, non tamen certa: simplex vero nervum inter, et musculum instituta comparatio, tum accuratum examen proprietatum, quibus utraque sive nervea, sive muscularis fibra donatur, alteram hypotheticam evincunt.

XIV. Fibræ portionis tendineæ ope textus cellulosi compacti arctius, quam musculares, inter se cohærentes in exilissima, et simplicissima filamenta resolvi queunt, quæ utpote ultra individua, cylindros tendineos primigenios salutavit Fontana. Isti cylindri spiræ ad instar contorti, nec intus vacui, nec vesiculares sunt, uti quibusdam visum est, sed solidi, duri, homogenei, uniformes.

XV. Exilissima et sunt vasa sanguinea, quæ per tendines distribuuntur. Hinc cur isti nonnisi per inflammationem rutilo tincti colore cernantur. Vasis lymphaticis, licet anatomica industria nedum detectis, tendines non orbari, putandum. Quum vero nervorum radiculas, etsi tenuissimas, tendines recipere Laghi, Vinslow, Tonelli, Scarpa tentamenta demonstraverint, severo nimium judicio eos insensiles Hallerum dixisse, concludendum.

XVI. Utrum musculorum caro cum portione tendinea esset continua, eamdemque, vel alteram haberet structuram, acerrime disputatum; nec quæstio hactenus penitus soluta. Si attamen utrorum textuum proprietates vitales, physicas, chemicas, tum structuram, et functiones rite perpendamus, magis pronum erit concludere, ipsos inter se discriminari, et contiguos potius cum Muys, Haller, quam continuos esse dicendos, ut Bichat tentamenta invictissime probant.

XVII. Quæritur inter Physiologos, utrum irritabilitas, facultas nempe, cujus ergo musculi a stimulo perciti manifesto modo se se contrahunt, sit vis fibræ

musculari insita, an nervorum ministerio regatur. Summus HALLERUS nervos sensationum ministros non contractiles, ex adverso musculos obscura sensibilitate præditos quammaxime irritabiles etiam post nervorum ligaturam, vel capitis recisionem conspiciens, hanc facultatem fibræ musculari inhærere indubitanter pronuntiavit, ipsiusque sedem præcipuam esse mucum animalem, quo omnes fibrae musculares invicem colligantur, imaginatus est. HALLERI sententiam totis viribus confirmare sunt nisi summi Viri BLANE, BEHERENDS, BLUMENBACH, CALDANI, CRICHTON, FONTANA, GIRTANNER, aliique. WHITT contra, GREGORY, hujusce Athenaei aeternum decus, et honos CIGNA, ipsemet HALLERI discipulus ZIMMERMANN manifestas musculorum contractiones ab irritata in pronuper decollato animali medulla oblongata, et effectuum a stimulis, narcoticisque tum in fibra musculari, tum in nervosa progenitorum identitatem cernentes, atque sedulo tum relationes, quae inter affectiones systematum muscularis, atque nervei intersunt, cum contractionum debilitatem nervorum debilitati succedentem perpendentes, irritabilitatem nervoso systemati subditam esse, vel saltem ab intima nervorum cum fibris muscularibus commixtione pendere, contenderunt. Horum vestigiis adhærent FABRE, LE-CAT, DE-LA-ROCHE, SMITH, LAGHÌ, SEMENTINI, GARDINER, GAUTIER, SCARPA, PFAFF, REIL, DARWIN, BROWN, aliique.

Horum sententiam probabiliorem, quin et veritati consonam docent, 1.° natura muci vitalitate, ac

proinde vitalibus proprietatibus orbati: 2.° contractionis phœnomena a sectis nervis in musculis excita ex stimulo fibris nervosis directe applicito, intactis licet muscularibus fibris: 3.° nervorum musculos omnes, speciatim vero cor, petentium numerus eximius, ut Anatomicorum, præ aliis Scarpa lucubrationes evincunt: 4.° omnis silens irritabilitas, nervosa vi, intacta licet musculari fibra, per venena penitus sufflaminata: 5.° experimenta a Smith, Whitt, Scarpa, tum speciatim nuperrime a Le-Gallois pertentata. Neque obstat, 1.° contractilitatis in musculis praesentia, in nervis defectus omnimodus: 2.° irritabilitas nonnullis in plantis, polypisque, etsi nervoso systemate apparenter orbatis, manifestissima; namque discrimen, quod nervos inter, et musculos interest ex una fabricae differentia proficiscitur, ut scite adnotat Tommasini: atque prorsus evictum non est, tum plantas, tum polypos nervis carere; quin et probabilius videtur, ob indolem propriam non adhuc perspectam, etiamsi non desint, vestigantium indaginibus se subripere.

XVIII. Nec minus momentosae fuere conjectationes erga contractionis manifestae phaenomena, et irritabilitatem a summis caeteroquin Viris in medium adductae: alii enim phœnomeni caussam eum assecuturum volunt, qui per chemicam encheiresim vestigata, cognitaque habuerit muscularis fibrae principia, qui per anatomicam solertiam molecularum eamdem constituentium positum habuerit perspectum: alii sat esse putant hanc vim in muco animali cum Hallero repo-

nere: hujus elementum cum ROBERTSON, et LANGRISK in fluido subtilissimo, aethereo, electrico ponendum esse alii contendunt: sunt qui cum HUMBOLDT, aliisque Galvanicum fluidum velut ejusdem caussam incusare malunt: per vitalem attractionem id fieri, retur FORDYCE: nec desunt qui cum CUVIER, et GIRTANNER omnem omnino muscularis fibrae irritabilitatem ab oxygenio èsse derivandam autumant.

XIX. Verum enim vero, tot has plus, minusve speciosas sententias omnes hypothesim redolere, quis revocabit in dubium? Rectius, ni mea me fallit opinio, de irritabilitatis essentia judicat quicumque cum illustri BONNET, aliisque cordatissimis naturæ scrutatoribus senserit, eamdem densis undique tenebris esse circumseptam, satiusque esse, ab effectibus ejusdem praesentiam dignoscere, quin eam facile assequi datum sit, uti de gravitatis, elasticitatis, aliarumque virium essentia constituendum esse, dudum docuerat NEWTON.

XX. Porro ut manifestae contractilitatis in vivente fibra obtineant phœnomena, non una muscularis fibrae integritas requiritur, oportet etiam, ut integra sint tum vasa sanguinea, et lymphatica, tum nervi, quae per ipsam distribuuntur: laesis namque, sauciatis, aut destructis vasis, ac nervis musculum petentibus vel laedi, vel languere, vel etiam feriari musculi contractilitatem Physiologorum experimenta testantur. Hinc autem facile concipies, cur musculorum, illorum speciatim, qui voluntati parent, irritabilitas, vel contractilitas sit in ratione directa tum numeri, tum magni-

tudinis arteriarum, nervorumque, qui ad ipsos appellunt.

XXI. Dum contractilitatis manifestae caussam tot circumstant tenebrae, ipsius attamen leges et noscit, et metitur Physiologus. Praecipuae hae sunt: 1.° musculus contractionis tempore indurescit: 2.° rugosus evadit: 3.° majorem nanciscitur crassitiem: 4.° decurtatur, hoc est invicem appropinquantur puncta, quibus adhaerescit: 5.° sub hisce contracti musculi mutationibus immutatum propemodum perstat ejusdem volumen, quidquid contendat Glyssonius, qui experientiis innixus minus esse musculi contracti volumen affirmavit: 6.° sanguis in ipsius vasculis contentus exprimitur, expeditiorque fluit.

XXII. Musculorum vim summam esse, quammulta observata testantur. Haec inter referas tum Augusti II Poloniae Regis exemplum, qui argenti discum torquere, atque equi soleam comminuere digitis potis erat: tum Britanni cujusdam, loquente Baglivi, qui circa sui corporis mediam partem fune affixa, duos equos, vel frustris lacessitos, retinere valebat: similia.

XXIII. Evictum ex dictis est, moleculas, partesque omnes musculum constituentes maxima una simul adhaerescere cohaesionis vi, quam valdopere adauget vitae momentum. Nisi enim res ita se se haberet, nullo concipi posset negotio, cur, firmis, intemeratisque perstantibus vitae viribus, sub vehementissimis contractionibus tendines, ipsaque ossa, queis affiguntur, numquam vero muscularis portio disrumpatur: contra vero, vitali influxu silente, a ponderibus mus-

culorum extremis appensis muscularis potius, quam tendinea pars, dilaceretur.

XXIV. Hujusce vis muscularis potentiam plures sunt in corpore humano, quae infringunt, caussae. Praecipuae sequentes sunt, 1.° ferme semper ossibus ab ipsis movendis parallelae potentiae musculares, eo minorem exercent effectum supra hosce vectes, quo ipsarum directionis linea media a perpendiculari recedens ad parallelismum magis, ac magis accedit: 2.° maxima musculorum pars prope articulationes, vel prope ipsarum hypomoclion desiguntur, ipsaque tertii generis vectis ad instar movent; reperiuntur ita inter fulcrum, et resistentiam; hoc pacto celeritatem adaugeri, motum vero imminui, facile deprehenditur: 3.° uti omnes fibrae musculares non directo, sed obliquo modo ad tendineam expansionem in carnium crassitie productam insiguntur, ita vel ex hac sola distributione earum actio valdopere inclinatur: 4.° praeterea virium antea dictarum est duplicanda quantitas, quia musculus tam validam actionem in partem immotam, cui figitur, exerit, quam in partem mobilem ab ipso tracturam; uti perbelle adnotavit Borelli, cujus assertum ratiocinio D' Alembert, et solertissimis experientiis Cristophorus Sturm confirmarunt.

XXV. Hisce positis, ut recta determinetur musculorum vis, oportet, 1.° animum intendere in distantiam, quae est inter punctum ipsorum insertionis, atque fulcrum: 2.° in angulum, sub quo insiguntur ossi ab ipsis movendo: 3.° in sinum anguli, qui emergit ex con-

cursu fibrarum tum tendinearum, cum muscularium, quibus componuntur: 4.° in divisionem virium inter punctum fixum, atque punctum mobile uniuscujusque musculi agentium: nam male se apponeret, qui musculorum vim a specifico pondere metiendam esse censeret, uti PITCARN placuit.

XXVI. Licet haec, aliaque patiatur ob memoratas caussas detrimenta muscularis vis, non reticendum attamen, provide naturam aliquibus in corporis humani sedibus has motus difficultates, praecipue parallelismum quadantenus temperasse. Ita ope prominulae patellae musculi cruris extensores a parallela directione deflectunt, atque per angulum plus, vel minus rectum in tibiam defiguntur. Eumdem praestant effectum aliis in sedibus tum apophyses, epiphyses, ossa sessamoidea, et trochleae cartilagineae, tum tumidulae ossium extremitates, quas a sagaci natura consulto ita unice constitutas fore, dixeris. Ad haec addendum est, non paucos esse musculos, qui vectis primae speciei ad instar super ossa agunt.

XXVII. Caetero extra omnem dubitationis aleam positum est, musculos flexores vi extensoribus praestare, quia potissimum illorum fibrae longiores, et numerosiores longinquius a motus centro, atque sub angulo minus acuto, et cujus sinus magis, ac magis augetur, prout membra flectuntur, in ossa defiguntur.

EX PATHOLOGIA GENERALI.

DE INFLUXU AFFECTIONUM MORBIDARUM LOCALIUM IN TOTAM HOMINIS ŒCONOMIAM.

Titulum, quem aggredior, vel suo ipso molimine gravem, graviorem reddunt maximorum Virorum placita, quae urgere mihi est opus. Magis feracem, candide fateor, notionum copiam, et concinniorem in scribendo leporem exposceret argumenti dignitas, quam quibus meum pollet ingenium paupere manans vena. Attamen cordatiorum Auctorum opinione suffultus, quid sit quadantenus de re sentiendum tam pressis, quam potero, verbis, expediam, aliquibus ante omnia praeversis animadversionibus ad rem explanandam maximopere idoneis.

I. Animalis machina ex multiplicibus constat organis, inter quae alia, ut cum clar. Tommasini loquar, ad universam oeconomiam diffusa, magis simplicia sunt, uti systemata sic dicta nerveum, vasculare, cellulosum *1 : alia in aliqua oeconomiae sede

*1 Etsi immortalis Viri, a quo hanc, aliasque decerpsi sententias, theoria omnibus exceptis illis, qui nec irretorto

circumscripta, vel minus diffusa; magis complexae structurae, magisque evoluta sunt, uti oculi, pulmones, hepar, testes, lien, musculi, ligamenta etc., ad quae conficienda praeter systemata generalia, nempe vasa uniuscujusque generis, nervos, telam cellulosam variis modo, ordine, et quantitate intertexta, alii symbolam conferunt textus, qui ipsis peculiarem structuram organicam, compagem peculiarem impertiuntur, ita ut differentiae, quae inter omnia animalis corporis componentia organa intersunt, ex nullo alio sint derivandae fonte, nisi a varia proportione textuum peculiarium, atque systematum universalium ipsorum structuram ingredientium. Testis, ex. gr., differt ab oculo, hepate, musculo, quod vasa arteriosa, et venosa majori copia, nervi, textus cellulosus, vasa inhalantia, et exhalantia minori in ipso reperiuntur, quam in memoratis organis: quod omnes hae partes prorsus diversa ratione conjungantur, misceantur, modificentur in testis parenchymate, ac qua obtinet in parenchymate hepatis, musculi etc.: quod demum textus peculiaris testis diversus omni-

---

oculo aliorum facta contemplari consuescunt, arrideat, attamen apud Physiologos receptum est, non debere organi nomine salutari, nisi partes, quarum structura differt a structura generali, quaeque functiones sibi proprias adimplent: tales sunt oculi, aures, pulmones, cor, hepar, lien, uterus, pancreas, vesica, etc.

modo est a textu proprio, quo vario, et specifico aspectu donantur hepar, musculi, oculi etc., idemque de omnibus aliis dicatur.

II. Omnes organicae partes vi illa, cujus ope ens vivens ab ente denato, a corpore inorganico discriminatur, vitalitate nempe fruuntur, quae varios sortitur modos pro variis sedibus, pro varia partium structura: induit speciem contractilitatis in musculis, vis sentientis in organorum nervis: atque in his vel stimulo lucis, uti in oculis, vel undae sonum adducentis, uti in aure, vel elementorum bilis cum sanguine per circuitus vias pererrantium, uti in hepate, vel seminis, fibrinae, gelatinae, ~~uti~~ in teste, in musculo, in ligamento, incitatur.

III. A peculiarium stimulorum actione supra modificatam in omnibus sedibus ob partium structuram vitalitatem, speciales quoque emergunt effectus, vel vitae. Harum actiones concordes ad universae oeconomiae conservationem, vel, quod idem sonat, ad vitam generalem servandam, etsi non aequa lance, conspirant: hinc, feriante vita vel pulmonis, vel cordis, feriatur et vita generalis: contra vero, nonnisi post aliquod tempus silet ista, silente vita ventriculi, intestinorum, systematis absorbentis, exhalantis, aliorumque: nullam tandem, vel levem patitur offensam a defectu vitae peculiaris oculorum, aurium, olfactus organi etc., sine qua, naturali fere perennante physico excitamento, moralis tantummodo langueret vita ob quarumdam sensationum defectum.

IV. Quum systemata generalia majori, vel minori copia omnium organorum, partiumque fabricam ingredientia, peculiari etiam donentur vita, pronum est eruere, has partes, et organa, praeter modo memoratam specificam vitam, altera quoque donari omnibus communi, et a dictis generalibus systematibus ipsis quodammodo impertita.

V. Haec porro organa, quoad vitam specificam, quadantenus non subjecta vitae specificae aliorum organorum, neque systematum universalium videntur. Nullus reapse directus influxus actionis pulmonum in actionem oculorum, testium, systematis nervosi, vascularis, et viceversa, cognoscitur: namque, si, deficiente actione alicujus ex dictis organis, alio pacto ipsam substitui posse, fingamus, tunc et immutatum perennare communem motum, concipiemus. Non sufflaminaretur sane vita universalis, si, ablatis pulmonibus, ope machinamenti alicujus mitti posset ad varia organa sanguis oxygenio imbutus; perennaret pulmonum motus, si arteriae, et nervi, idonea ad ipsorum nutritionem, et sensibilitatem principia devehentes, aliquomodo substitui possent; idem de omnibus dicas. Quodvis ergo organum ab aliis ex eo tantummodo pendet, quod ipsorum ope materies, atque vires recipit, quae tandem a peculiari ipsius structura modificatae specificam memoratam ejusdem vitam constituunt.

VI. Caeterum, missa hac vita specifica, organa omnia, et partes utpote a systematibus generalibus

effecta, intimam cum ipsis cognationem, et ipsorum ope cum omnibus aliis organis, et partibus, non habere non possunt; quin immo, etsi vita peculiaris omnium organorum, et partium directo modo ab aliis organis, et systematibus non dependet (§. V.), attamen, quoniam ipsorum nutritionis parenchyma a systematibus universalibus conficitur, ita indirecte ab ipsis pendet, et indirectum in ipsos, ipsorumque auxilio in omnia alia organa exerit influxum. Sola retina radiorum luciferorum impressionem persentit; at quoniam retinae excitabilitas est sociata excitabilitati totius systematis nervosi, ita retinae excitabilitas a systemate nervoso pendet, et suum influxum vicissim in ipsum exercet.

VII. Ex allatis conjectari fas est, omnia systemata, organa, et partes, ope harmoniae sane mirificae, inter se consentire, conjungi, invicem opitulari, ad vitae universalis incolumitatem pro sua quaeque symbola unice contendere, et ab ipsa vicissim pendere; quod hisce verbis jam docuerat medicinae Parens: « Consensus unus, conspiratio una, consen» tientia omnia; descripto enim circulo principium » non invenitur ». Pari scilicet modo, quo ventriculi actione egent omnia organa, ventriculus omnium actione indiget; quod idem de omnibus constitui potest.

VIII. Re istiusmodi sub aspectu considerata, luce meridiana clarius apparet, nullam vel organorum, et partium minus ad vitam necessariarum (§. III.) actionem irritam cedere. Quis sane irritam actionem cae-

terum debilem vitae specificae aurium, oculorum, et aliorum in physicum excitamentum ob id pronuntiare audeat, quod ipsorum influxus dumtaxat manifestus est in mentis functiones? Physicos effectus vel directos, vel a cerebri functionibus in oeconomiam animalem reflexos excitamenti exorti ab actione lucis, soni, et aliorum supra retinam, nervum acusticum etc., quis audeat denegare?

IX. Profitendum attamen, evidentiorem esse in universum systema influxum, quem exercent organa, vel partes ad sedes externas positae, si ista spectantur utpote vitam omnibus systematibus ipsorum fabricam ingredientibus communem viventia. Nullo alio sane pacto explicari potest, cur millenae perpetim universales turbae succedant horum organorum, et partium læsionibus vel levibus, puta compressioni, contusioni, inflammationi, vulneri, aliisque, nisi quod hisce in adjunctis laesa est vita, quam organa, et partes communem habent cum systematibus; quod ferme nunquam contingit, cum est dumtaxat laesa, vel sufflaminata alicujus organi vita specifica, uti testantur nervi optici, testium, musculorum paralyses, aliaque hujusce census, in quibus cum sufflaminata vita partis salvum est commune excitamentum.

X. Quamquam, ut supra diximus, omnia organa ob vitam specificam, quam vivunt, directo, vel indirecto modo ab universali excitamento regantur, et in ipsum plus, vel minus latum, sed perpetuum

exerant influxum, tuto attamen statui potest, ad ipsius conservationem, perfectionemque, majorem tribuere symbolam ex omnibus partibus illas, quae praestantiorem exercent functionem, nec in aliis corporis sedibus repetitam, quarum scilicet defectus minatur vitam universalem, vel ipsi machinae certam infert deformitatem, utpote quae a nullo alio organo, vel parte possint substitui. Eadem pariter de caussa promptius omnibus aliis partibus ipsae pessum ibunt, praesente aliqua organicorum textuum deletrici caussa; nam, heu nimis! cognitum, magis frequenter a caussis destructionem minantibus affici, minusque ipsarum infensae actioni resistere potis esse partes, prout magis specifica vita, si dicere licet, magisque complexa fabrica donantur. Haec est ratio, cur tam fragilis sit humana machina.

XI. Quot non, quamque nobilia hic essent consideranda, ni mei vetarent speciminis limites, ni pro meo scopo sat foret physiologice demonstrasse, omnes partes corpus animale efficientes inter se mutuo jungi; quod magis adhuc illustrare sequentibus pathologicis animadversionibus enitar. Si ab admotione veneni, vel alius stimuli intestina, a punctura tendines, nervi, a rudi frictione cutis, a derepente sufflaminata transpiratione musculi, a nimia insolatione cerebrum, a partu difficili uterus, a contorsione, vel distensione ligamenta inflammatione corripiuntur, illico male plectuntur systemata cellulosum, nerveum, vasculare illico in promptu habetur fe-

bris universalis, et lucem oculi, sonum aures recusant, acuto praegravatur dolore caput, uno verbo animalis machina stimuli impatiens fit, et universalis accenditur sthenicus morbus. Si contra, ob aliquod morbosum adjunctum organi excitabilitas exhauritur, propediem major, minorve universalis debilitas pro gradu debilitatis localis consectatur. Dirus dentis, ex. gr., ad aliquot dies productus dolor totum prosternit systema. Operatio chirurgica dolorifica paullo diutius, quam par sit, protracta, ob ingeminatos dolores locales universum pariter labefactat systema *1. Organi vires nec erigi ergo, nec deprimi possunt, quin vel erigantur, vel deprimantur vires totius systematis. Rei veritatem confirmant observationes a morborum therapeja depromptae. Visne intestini, ut in modo allato exemplo, nervi, tendinis inflammationem opprimere? Stimulos machinae universae subduc, et tui voti compos fies: aliquot caloris gradus cuti, lucem oculis, sonum auribus detrahe, circumscribe gulam, et promptum afferes levamen utero inflammato: item alias remedia universalia propinando, localem vincis debilitatem. Pulmonum atonia saepenumero feliciter ope vesicantium cuti adpositorum fugatur. Quoties interni gravissimi dolores statim ab admoto externo emplastro rubefaciente, vel a confricata cute non silent? Ad haec maxima reme-

*1 In Divi Joannis Nosocomio operationes ob aliquod inopinum accidens nimis productas jugiter pene malum sortitas esse exitum, vidi.

diorum intus sumptorum pars non ultra ventriculum, et tubum intestinalem agunt: attamen horum organorum excussis proprietatibus vitalibus, illico adaugetur excitamentum hepatis, lienis, uteri etc.: exinde obstructiones, chronicae metrorrhagiae, hydropes sanantur.

XII. Eo promptius se prodit organi alicujus in totam oeconomiam influxus, si ipsa ob morbum exquisitius, quam par est, sentit. Quosnam non progignunt morbos hisce in rerum adjunctis exciti vel leves motus in aure, oculo, vel naribus feminae convulsionibus obnoxiae? Quosnam non comparat laetos effectus toti systemati grata sensatio, in organo adsuetudinis caussa exquisite sentiente, excita? Undenam repetendus generalis ille roboris sensus, quem experitur homo a parva dosi Nicotianae tabaci, a quo abstinere diu fuerat coactus? Quoties non fuere fugatae convulsiones, vel febres intermittentes a suavi excitamento, quo perfundebatur aegrotans a grata, dulcique symphonia, uti clarissimus Zulatti observavit? Nec novum id est: jampridem hic sensationis localis in totum systema influxus non fugerat Horatium Flaccum cum Promethei diras poenas a Sapho cantu sopitas effinxit, et Eumenidum crinibus implexos serpes a dulci Orphei concentu fascinatos.

XIII. Ex quonam demum fonte derivandae infinitae pene, quae consurgunt in oeconomia animali post laesione mali cujus partis sympathicae affectiones, nisi ab influxu, dixerim fere amicitia, quae inter

omnes partes tum in salutis, tum in morbi statu interest, cujus ope incredibili consensione in unum amice collineant, mutuas sibi ferunt suppetias, altera alteri propria bona, propria mala communicat? A frigida cuipiam parti affusa late illico contrahuntur vasa, ac haemorrhagia et in dissitissima parte compescitur. Tristis perturbat animum nuncius; jam totum flavicat corpus. Opticus laeditur nervus, simul patitur socius. Centro phrenico lacessito, faciei contrahuntur musculi, et risus sardonicus enascitur. A laesa schlerotica vomitus adnotatur *1. A metu, terrore laxantur intestina, et diarrhoea inopinata se prodit. In lipothymia, syncope ammoniaca nares afficiens pulmones ad sua munia revocat. Vinum meracius vix ventriculo est traditum, jamque artuum ulcera exasperat. Non semel haemoptoe a linteis aceto madidis scroto admotis ad miraculum refrenata; ebrietas hoc assolet quoque fugari praesidio.

XIV. Maximum quidem esse morborum localium in universum systema influxum ex allatis jam eruere licet. Juvat paucis videre, utrum theoria cum praxi chirurgica collimet. Argumenta ad hoc operis in medium promam a quotidiana frequentia magnorum nosocomiorum praesertim excerpta. Nec de omnium morborum localium supra totum systema influxu di-

---

*1 Id phœnomeni pluries mihi observare contigit in modo memorato Nosocomio Divi Joannis, praecipue cum cataractae operatio instituebatur juxta methodum depressionis.

cere mens est; nimis enim longum foret opus: de praecipuis ideoque primoribus labiis aliqua dumtaxat delibabo:

1.° Nullum leve infligitur alicui parti vel a praecipuis vitae centris dissitae vulnus, quin propediem pro majori, vel minori aegrotantis sensibilitate, et stimuli intensitate totum systema perpetuo ferme plus vel minus quoque exardescat; quin aeger aestu, febrique, pluribus aliis saepenumero stipata turbis modo magis, modo minus pertimescendis pro variis vulneris adjunctis non jactetur: idem de caeteris violentis laesionibus localibus dicatur.

2.° Alia ex partibus localibus vel minus pariter vitae essentialibus pertentaturne inflammatione? Quam maturrime pro majori quoque, vel minori morbi localis intensitate, et subjecti irritabilitate millenae se produnt universales, et minaces heroïcis remediis debellandae turbae, naturae viribus demandatae brevi summo in vitae discrimine aegrotantem adducturae.

3.° Quodnam depromas ulcus utut simplex, quod sive ob plus, minusve ingratam, vel dolorificam sensationem, sive ob praepeditas partis laesae functiones, sive ob corrosionem textuum ipsorum, sive ob determinatae humorum quantitatis deperditionem, vel absorptionem in morbi societatem universum serius, vel ocyus non trahat systema, et febres hecticas, consumptionem, et mortem ipsam, labentibus annis, non adducat. Tristes promptius, eviden-

tiusque se produnt effectus ulcerum specificorum, puta syphiliticorum, scabiosorum etc. Quotnam aerumnas reapse hi morbi non ducunt? Vel melius quasnam universales aerumnas post se non ducunt?

4.° Afficiturne gangraena, vel gangraenoso tumore uti furunculo maligno, carbunculo etc. aliqua pars? Maturate quoque labascunt vix non perpetuo totius systematis vires, et aurium tinnitus, syncopes, sudores frigidi, pulsuum languor, aliaque innumera debilitatis symptomata scenam ludunt, et non raro vocat vox ultima aegrum. Vipera pari modo venenoso morsu digitum ad exemplum laedit, aeger de repente ictero pertentatur, contremiscit, animis cadit, alias pallidus fit cum anxietatibus, pulsibus inaequalibus, palpitationibus, sudoribus frigidis, nausea, vomitu, convulsionibus, et aliquando libitinam non evadit.

5.° Ex eo dicetne fortasse aliquis insontes locales tumores frigidos, uti sarcomatosos, adiposos, cysticos, aneurysmaticos, scirrhoideos etc., quod cum ipsis per diutinum tempus sit visa aegrotantis inculpata valetudo? Regeram: ultra quam quod ferme numquam pancratice valentes deprehenduntur homines tales gestantes tumores, quibusnam non sequuntur universalibus malis, si vel ob consumentem vetustatem, vel ob intempestivam, et inopportunam medendi rationem, vel ob naturae improvidum nisum, vel ob multum, rapidumve morbi incrementum, vel demum ob aegrotantis errorem aetatis fluxu irritantur, et ad apertionem, suppurationemque provocantur? Dicant qui in

sacris ad refocillandos, curandosve pauperes aegrotantes erectis a Procerum pietate asylis maximam sui temporis partem traducunt, ubi degeneres hosce tumores videre frequentissimum est.

6.° Quaestio exagitaturne de acerrimo communi hoste, dolore nempe? Quantus sit ipsius in totum corpus influxus vel a sequentibus evincitur inclyti Petit verbis: « Le danger de la douleur est grand sans » doute, puisqu'un accès suffit pour donner la mort. » Les accès douloureux, en se répétant, n'amènent point » un danger moins sûr : poison plus lent, ils minent » la vie comme la goutte d'eau pénètre le rocher, » *gutta cavat lapidem non bis, sed sæpe cadendo.* » Ils troublent la digestion: ils en détournent ou en » corrompent les produits : les organes ne sont plus » nourris : la fièvre consume les sucs, qu'ils doivent » recevoir : le système nerveux se maintient dans un » eretisme constant, et l'affreuse maigreur augmente » chaque jour jusqu'à ce que la dernière étincelle de vie » s'éteigne devant le dernier souffle de la douleur *1 ». Quiddam similis exprimere voluisse statuarum Agamemnonis ad Iphygeniæ sacrificium stantis, et Laocoontis inexplicabilis nodi, nec non Milonis Crotoniatis artifices, quis non diceret, ipsarum horrentes comas, caperatam frontem, truces, et minaces cœlum suspectantes, et injussis lacrymis circumfusos oculos,

---

*1 Vide disertissimam orationem Petit,

genas depressas, musculos contractos, os apertum, palpitantia demum labra contemplando? Nec contrarium probare valent Archimedis inter ruentis patriae communem dolorem impavidi, Mutii Scaevolae, et Archiepiscopi Cramber vorantibus flammis sponte brachium committentium exempla, uti et Hook inter flammas amicis placide dicentis, dolorem non esse impatibilem: nam hisce in rerum adiunctis doloris effectus sub valido mentis gloriam quaeritantis imperio siluerunt, quod fanaticum furorem constituere quadantenus videtur: id perbelle cecinit Poeta:

L'œil du Public est aiguillon de gloire.
On est plus grand quand on est regardé.

XV. Caeterum aliquando sine admodum conspicua totius systematis laesione ad aliquot annos possunt protrahi dolores. Ad haec ipsi diversi quoque sunt pro varietate partis affectae, morbi diuturnitate, et aegrotantis sensibilitate. Dolores a partium nervearum, et sic dictarum albarum laesione progeniti acerrimi sunt, et facillime convulsiones progerminant. Pouteau luxationem ossis sessamoidei halli laethalibus subsecutam convulsionibus vidit: ob punctiunculam surculi nervei brachii fatis cedere jam proximum Carolum IX Galliae Regem, prompte liberavit Ambrosius Pareus. Homines robustiores imbecillioribus impensius a doloribus plecti, res est in confesso, et a quotidiana sancita experientia: Hercules, cujus

vocibus resultabat Oeta mons, dolorem ferre nequit, et supra pyram consumitur *1. Minorem demum influxum exercere supra universum systema dolores antiquos hisce jam dixerat HIPPOCRATES verbis: *dolores antiquos frigidos, et recentes calidos.*

XVI. Allata sat esse ad concludendum, nullum fere morbum localem dari a consequenti totius systematis plus, minusve prompta alteratione non stipatum, reor. Manat exinde, quam male judicent, qui, praeeunte BROWN, morbos in internos, universales, vel ad medicinam pertinentes, et externos, locales, vel in chirurgiae confiniis stantes ercisunt: flocci pendenda divisio, et prorsus expungenda saeculo erroribus, atque praejudicatis opinionibus negato; sed satius est cum immortali Medico FRANK dicere « . . . . . Chirurgiam igitur medicina forsitan » seniorem esse, concedimus lubenter; sed vix serii » quidquam ex hoc ipso inferendum esse putamus: » nobilitas enim scientiarum non ex earumdem anti- » quitate majori, sed ex necessitate, atque utilitate » eruenda: qua quidem consideratione ars utraque » pari passu ambulat, eadem dignitate gaudet, et

---

*1 Pene semper dolorum magis impatientes robustos homines, quam effetos in Divi Joannis nosocomio vidisse, subit: in hocce sacro asylo vix non semper quoque vidi malum sortitas exitum operationes, quas cum mira animi pace aeger sustulerat, et contra plerumque faustis subsecutas eventibus, quas nonnisi alte clamitans tolleraverat.

» iisdem principiis superstruitur. Nec minus Chirurgo » go medicina, quam chirurgia Medico opus est; » ut male ex hominis superficie vel interna, vel ex- » terna, unius scientiae sit desumpta divisio ». Huic Frank sententiae sequentibus adstipulatur verbis clarissimus Eques Richerand: « Autant vaudrait » distinguer les maladies qui affectent la partie droite » du corps, de celles de sa partie gauche ». Et sane nulli alii sunt limites inter morbos externos, locales, vel ad chirurgiam pertinentes, et internos, universales, vel ad medicinam spectantes; siquidem alii in alios facile commutantur, nisi artificiosi illi, qui invita Natura a quibusdam componuntur. Sed omnis medicinae emunctae naris scrutator empiricos Medicos, Chirurgosve tamdiu declarare tacito non haeserit, quamdiu primos notionibus chirurgicis, postremos medicis destitutos senserit *1.

XVII. Profitendum hic est, nonnullos dari morbos, et vitia, quae, intaminato universo systemate, vel per longas moras tantum, vel perpetuo in parte aliqua circumscribuntur; at tam numero pauci occurrunt, ut in antecessum posita scita haud infirmentur.

XVIII. Ad argumenti complementum sequentia ex-

---

*1 Sapientissimis nostris legibus non nimis rigida facta distinctio in Chirurgiam, atque Medicinam quoad scholas, quoad praxim, quoad æmulationem excitandam optima est: peccat cum nimis rigido sensu contemplatur.

pendenda remanerent : 1.° quî fiat, ut organi laesi affectionem universum systema modo persentiat, modo non : 2.° quaenam sint adjuncta, in quibus vita specifica organi, vel partis magis laesa est, quam vita, quam communem habet cum omnibus systematibus ipsius structuram ingredientibus, et viceversa : 3.° quinam, et cujusnam indolis sint morbi, qui magis constanter limites sibi in parte componunt, quin totum systema labefactent; at haec nimis in longum protraherent : sat sit idcirco adnotasse, quae vetant speciminis limites, quaeque mei ferre humeri recusant.

EX THEORICO-PRACTICA.

IN METHODUM SEMIFLEXIONIS POTT PRO CURANDIS FRACTIS EXTREMITATUM INFERIORUM ANIMADVERSIONES.

Ars fractis medendi a Veteribus cognita, a Neotericis maximopere illustrata, non paucis attamen disceptationibus, quaestionibusque adhucdum originem praebet. Has inter non ultimas sibi vindicat, quae erga positum versatur caeteris in artuum inferiorum fracturis anteponendum. Membrum fractum in positu recto, et horizontali locare, cautum habebant prisci artis Antistites. Quae tradita leguntur in aureis Hippocratis, et Galeni scriptis revocans Pott, membri semiflexi, et in latere insidentis commoda nec sine eloquio celebrare coepit, atque totius corporis in latere affecto positum utpote magis naturae consonum, et ad musculos in aequa requiete, atque relaxatione componendos aptiorem, in pleno suae litteratae senectutis opere, demonstrare est annisus *1. Ve-

*1. Cl. Antecessor Scavini mihi humanissime communi-

rum parum abfuit, quin methodus vix revocata oblivioni concrederetur, speciatim postquam Cl. Desault ejusdem incommoda redarguens, ne verbo de commodis facto, pleno ore improbavit, ni forte aliquot observatores, nullo partium studio moti, methodum aliquibus in adjunctis utilem praedicassent, atque cum fructu in usum advocassent. Litem aequiori judici linquentes, paucis adumbrata methodo Cl. Angli, nostrum esse putamus ejus incommoda, atque commoda aequa lance pensitare, eos vestigare casus, in quibus methodo extensionis dictae praestet, ac tandem adjuncta, in quibus praestat, singillatim enarrare.

I. Semiflexionis methodus, qualem Pott proposuit, quamque fractis inferioribus artubus in primis habet

---

cavit semiflexionis methodum jam ab anno 1782, ideoque antequam Cl. Pott opus apud nos innotesceret, in Nosodochio SS. Mauritii et Lazari in usum fuisse, seque vidisse ejusdem methodi ope a celeberrimo olim illius Nosodochii Chirurgo praecipuo Buzzani militem septuagenarium dexteri femoris fractura obliqua laborantem felicissime sanatum. At, quod ad femoris fracturam spectat, animadvertere oportet, istud os in sua parte anteriori curvationem plus, minus sensibilem habere, ita ut in recta positione maxima ejusdem corporis pars minime fulciatur lecto, vel apparatui in fractura indicato: hinc facilis hujusce *decompositio*, quae quidem praecavetur in methodo semiflexionis.

accommodam, hac arte instituenda: aegrotans, cujus fractum fuerit crus, ita in latus insideat, ut crus supra coxam, coxa vero supra pelvim semiflexa serventur. Semiflexo cruri subterponatur semicanalis ex charta crassa, vel melius ex tenui lamina ferrea confectus, cruris, et pedis ex latere conspectorum referens figuram, habensque in superiori parte incisuram semilunarem, quo possit ulla absque noxa aegroti popliti accommodari. Hunc inter canalem, et crus, vel coxam interjiciatur fascia plurium capitum, vel fascia SCULTETI; hujus vittae transversales, et parallelae decussentur ad angulum rectum a taenia, quae a superiori parte fasciae, cui suturae ope affigitur, normaliter versus inferiora descendens ultra ulnam pedem transgrediatur: interim altera in promptu servetur ferula vel ex ligno, vel ex crassa charta parata anticae membri fracti parti apponenda.

II. Plurima in methodum nunc breviter expositam ejusdem opponunt osores, et 1.° difficile esse, tradunt, extensiones instituere: quin et observantes necessum esse vires extendentes ipsimet fracto ossi admovere, id receptae Clinicorum sententiae adversari contendunt, qua easdem eminus apponere satius esse docemur: 2.° in ipsa deesse facultatem crura, vel coxas invicem comparandi: 3.° jugiter servatum positum, et hinc ortam molestissimam totius corporis in magnum trochanterem compressionem immanes dolores esse producturam: 4.° dum aegrotans alvum ponere cogitur, perquam facillime di fracti ossis

extrema ab invicem dimoveri: 5.° crus non posse stabile reddi, ac propterea suorum motuum effectus in femur nec posse praepediri: 6.° experientiam ad haec usque tempora vix eam utilem demonstrasse: 7.° ob id praecipue, quia aliquot laesae partis musculi in laterali artus positu nimis, quam par est, tendantur, eapropter dolores gravissimos enasci debere: 8.° in hac methodo fractas extremítates facile e sede dimoveri, quia centrum gravitatis in corporis latus, speciatim vero in magnum trochanterem incidens, dum pelvim alte in lectulo deprimit, una efficit, ut tollonis quidam motus exurgat, ob quem extremitas superior in media circiter coxae parte altius ascendens ab inferna humiliori recedit: 9.° difficile esse apparatum apponere, ex quo fracta ossa in recto situ contineantur: 10.° aegrotos ob diutinam in eodem positu moram perfessos vel invitos lateralem in horizontalem positum mutare, hincque fieri, ut fracti membri juxta positae partes totius corporis motubus non obsecundantes ita conferruminentur, ut forinsecus conversae, magna tum functionum, tum et formae laesione, per integram vitam serventur *1.

---

*1 Cl. Roux in recentissimo suo opere (*Relation d'un voyage fait à Londres en 1814*) asserit, Londini vidisse plures casus spuriae, seu, ut ajunt, praeternaturalis articulationis methodum semiflexionis consecutae, ex quo deducit, positionem rectam praeferendam esse. Ast, pace

III. Verum dum aliquot ex traditis in confesso et esse ponenda non inficiamur, in opposita non inepte redargui posse existimamus: et 1.° quidem vires extendentes, et contra-extendentes, ubi femur fractum sit, in pelvi, trunco, et crure semiflexo, ubi vero fracta sit tibia in coxa, et pede cum fructu hac in methodo admoveri posse experimentis fretus contendit Monteggia: 2.° an lancisci, vittae, vel alterius instrumenti ope sat aequa institui non potest fractum inter, et sanum membrum comparatio, quo hinc utrorumque assequantur dimensiones, quin utraque sint conferenda? 3.° Neque obstant timendi dolores, quos ni exaggeratos eximii docuissent Clinici, pulvinarium ope vel praeverti, vel emolliri posse neminem latet: 4.° quod alvum spectat, quem fugit, ni consulto torus fuerit perforatus, longe majores in ea ponenda eum experiri difficultates, qui supra dorsum cubat, quam qui lateri insidet, ac proinde hac de caussa extensionis methodum semiflexionis longe

---

tanti Viri, nos quidem asseverare possumus istud infortunium nunquam observasse in tot fracturis artus inferioris in Nosodochio Divi Joannis ope illius methodi tractatis; ita ut concludere liceat, illud phaenomenon non ipsi Pott methodo, sed malae ipsius applicationi esse adscribendum: nam inter caeteras ejusdem mendas a clarissimo Roux adumbratas, Chirurgi Angli positum supinum aegrotis fractura detentis, et methodo semiflexionis deligatis permittunt.

magis incommodam esse: 5.° quod si crus, non secus ac coxa, pulvino de more involvantur, nonne in situ servari commode poterunt? 6.° Sat numerosa fuisse instituta experimenta, ut utilis haud infrequenter queat haberi: 7.° observationi adversari eorum assertum, qui, praxi neglecta, theorias fingentes ex nimia aliquot musculorum tensione dolores exoriri sibi persuadent: 8.° pulvinaria subter clunes, et superiorem coxae partem apposita, quominus tollonis motus exurgant, atque admota extrema secedant, sat praepedire: 9.° Sculteti ligaturam uti in positu recto, ita in semiflexo eadem tum incommoda, tum commoda polliceri, fractisque continendis sufficere: 10. demum incommoda, quae a mutato situ sobolescere possunt, vel positus mutatione praepedita praeoccupari, vel, si irritum cesserit consilium, averti, dato membro fracto pulvinarium ope tali positu, qui totius corporis positui obsecundet; ita enim semiflexio servari poterit, quin lateralis positus jugiter servetur: namque siqua in re nimius fuit Pott, nimius nostra quidem sententia fuit, dum positum lateralem prae semiflexione, quae praecipuum hujusce positus, et totius methodi adjunctum sistit, magni facere videtur.

IV. Siquae esse methodi Pott incommoda praehabita ostendunt, quae sint ejusdem commoda, dicenda monstrabunt. Et 1.° in recto positu membri musculi omnes tum extensores, et flexores, tum adductores, et abductores aeque tensi ad recomponen-

dum fractum validam opponunt resistentiam nonnisi laqueis, vinculis, fasciis, et instrumentis, aliquando malo aegrotantis fato, vincendam, quae jugiter detrimenti est, sed praecipue cum partes circumambientes contusae, tumidae, inflammatae, nonnisi peraegre extensionis, atque contra-extensionis ad opus necessariis motibus cedunt. In positu semiflexo contra maxima pars musculorum relaxati sunt; facillima idcirco fracti recompositio. Rei veritatem confirmat analogia: ardua est humeri fracti recompositio, si supra brachium extensum vires extendentes admoventur: facilis ex adverso, si brachio semiflexo humeri fracti recompositio tentatur. Cur simile quiddam in membro inferiori fracto non continget? 2.° Si partes fractum circumambientes tensae, contusae, inflammatae, vel humoribus alio pacto magis, quam par est, refertae sunt, facilius in positu semiflexo exonerantur, sedantur, quam in positu recto, in quo videlicet partes perpetim tensae, et recompositioni obstant, et dolorificam sensationem novo humorum affluxu, aliisque quammultis aerumnis, incommodisque subsequendam procreant, quae omnia sanationem longam reddunt. 3.° Ex omnium Auctorum sententia evictum est, semiflexionem esse magis, quam extensionem, naturalem: et sane placatis omnibus curis, illam ignaro cerebro membra hominis placide dormientis assumunt; illum, ut leniat dolores a fracto progenitos, religiose servat positum misellus, quem gravis casus, inscii hominibus, qui ei opem

ferre possint, affligit. 4.° Nulla vel lenis semiflexioni diu continuatae falsa succedit ankilosis, quae constans ferme, et quammaxime pertimescenda est post positum rectum. 5.° Quin e naturali situ dimoveantur extremitates fractae, de loco in locum membrum semiflexum facile transferri potest. Similem non praestant utilitatem alii positus. 6.° Methodi lateralis positus meritum adauget simplicitas ipsamet: in ipso irrita multa laquei, vincula etc. cedunt, quia musculi ad motum non sollicitati ossis fracti decompositionem non minantur: ex adverso in positu recto, cupiti non consequuntur effectus, nisi in frequentibus vinculis conjiciatur membrum. Quaeso modo, nonne anteponendus ille est positus, in quo vires musculares immotae remanent, illi, a quo istae vires ad motum concitatae mechanico modo superari debent?

V. Rectus positus semiflexo ex omnium Auctorum consensu ob id praestare videtur, quod 1.° corporis, atque membri in latam superficiem aeque partita pressio minus molesta fit: 2.° quod multo efficacius partem comprimendo extremitatum fractarum intimiorem promovet contactum; sed suppar quadantenus redditur ipsorum actio, si 1.° pulvini, vel duplex culcita ita disponuntur retro aegroti tergum, ut ipse a diutino in latere positu pertaesus, identidem in molle adminiculum incumbens, recreetur; quod innocuum prorsus est: 2.° si ope pulvinorum, ut superius dictum est, vel ope fasciae lecticae colligatae stabile redditur membrum.

VI. Quamquam ex traditis methodo Pott primas quadantenus deferre videamur, attamen id aperte pronuntiare non audentes, dicenti has excusationes maturamus: nos scilicet in judicio ferendo cohibere tenuem observationum practicarum numerum, tum et summam observantiam, qua colimus cl. Viros contraria sentientes. Verum, si quæ sentimus libere, ut virum medicum decet, fari nobis est datum, affirmabimus ultro Viri Angli methodum majori cum studio, tum navitate dignam, leviter nimium proculcatam fuisse a nonnullis inter Neotericos, qui eam forsan numquam experti, ad instar hominis multae auctoritatis, injuriis antiquare nituntur.

VII. Jamvero si in genere arduum est definire, utrum extensionis semiflexioni methodo praestet, vel contra, non ita rem se habere putamus, cum, semotis praeconceptis opinionibus, in utriusque commoda inquirere non piget: siquidem pro vario adjunctorum discrimine alteram altera utiliorem esse ex hac inquisitione patescit.

VIII. Missis modo peculiaribus recti positus utilitatibus, potiorem se ostendere semiflexionis positum, in sequentibus rerum adjunctis observabimus, et

1.° In peronei fractura simplici, in qua sequentes utilitates pollicetur; 1.° in hac fracti specie extremitates osseae perpetim in tibiam ducuntur ob contractionem musculorum, qui originem communem habent a tibia, et fibula. Ope semiflexionis musculi relaxantur, ideoque inanis redditur ipsorum potentia;

contrarius prorsus est metuendus effectus a positu recto : 2.° in positu semiflexo, relaxatis musculis, extremitates fractae a tibia proprio pondere recedunt, atque junguntur : qui frustra praestolatur effectus ab extensione : 3.° quoniam in positu semiflexo crus incumbit supra latus externum, et praesertim supra fibulae extremitates, quae prominulae sunt, ita ob tollonis motus speciem pars media istius ossis a tibia recedere cogitur, quod non obtinet in positu recto : 4.° extremitates fractae ob allatas caussas a tibia recedere coactae se se ad libellam componunt eo vel melius, quod ipsarum nimia diductio praepeditur a soliditate semicanalis, supra quem incumbunt.

Observatio.

Anno 1811 quemdam aegrotantem lecto 78 Nosocomii Divi Joannis fractura fibulae laborantem receptum fuisse recordor. Repellentium frigidorum ope lenis contusio, atque tumefactio, quibus erat consociata, evanuerunt ; in positu recto derelinquitur aegrotans, sed paullo post diri in parte enati sunt dolores, quos a pressione, atque irritatione ab extremitatibus osseis in partes molles tibiam circumdantes facta pendere creditum est. Cl. antecessoris Rossi consilio, in semiflexione ponitur membrum, et statim omnia composita fuere, atque aegrotans, ne ullo quidem superstite vitio, brevi consanuit.

2.°. In pedis contorsione, luxatione, subluxatione externis vel solis, vel fibulae fractura comita-

tis multa prae se fert commoda semiflexio: ratio haec est: 1.° ob musculorum dictam remissionem, et capsulae ligamentaceae relaxationem, quas inducit, non prodesse non potest in pedis contorsionibus. Rei veritatem ratio evincit, et constans observatio aegrotantium hoc morbo detentorum, et in Nosocomio Divi Joannis receptorum comprobavit: 2.° cum caussa, quae fibulae per repercussum fracturam progignere valet in pedem agit, tunc plerumque praesentes quoque sunt raro luxatio, saepissime subluxatio pedis externa, vix non semper valida contorsio ex eo pendentes, quod vel infringens caussa post disruptum peroneum actionem in pedem exercere pergens ipsum ex propria cavitate detrudit, vel quod ligamenta, quae a fibula ad tibiam, et pedem protenduntur, dilacerata, et puncto fixo carentia ossa non amplius continere valeant, vel demum ob musculorum pedem diducentium praevalentem contractionem, eo magis validam, quod ad motus abnormes tunc temporis concitantur, et ipsorum actionem supra latus externum pedis non amplius compescit extremitas inferior fibulae ad pedis motus laterales moderandos a natura data. Modo si in allato rerum concursu membrum in semiflexione accommodatur latus externum pedis prominulum ob levem, sed continuam, quam experitur, pressionem a subposito semicanali lente versus malleolum internum protruditur, eodem tempore, quo interius eminula extremitas inferior tibiae versus latus externum proprio pondere ducta cum

ipso se se perfecte ad libellam componit: praeterea mediante hac leni compressione fibulae extremitas in tibiam adducitur, a qua pene semper in hisce rerum adjunctis plus vel minus recedit.

Observatio.

Felix Simone Taurinensis, auriga, 48 aetatis suae annum agens, detentus a corporis fibulae fractura cum pedis externa subluxatione, et violenta contorsione luxationum perpetua comite, receptus fuit die 20 aprilis anni 1811 in Nosocomio Divi Joannis, ac in lecto 58 locatus. Cl. antecessoris Scaviñi consilio, positura semiflexa in usum vocata, brevi optime convaluit, quin aliquid curationem vel protrahere, vel turbare valentis praeter opinionem acciderit.

Ejusdem prorsus naturae modo memoratae observationem porrexit Malerba Joannes, a Segusio, mense maii 1812 in supradicto Nosocomio receptus, ac lectulo 69 traditus. Has utilitates non solum non praestare positum rectum nemo non videt, quin immo ratio evincit in hoc positu vires musculorum contractorum, et subluxationem adaugere nitentium mechanico modo, vix non semper dolorifico, atque votis non respondente opus esse compescere.

3.° Aliquando tibia ita in obliquum disrupta est a parte antica ad posticam, ut, destructis pene omnibus partibus mollibus sedem internam cruris occupantibus, mucronata extremitas ossea superior cingulo destituta in vulnere ex eo promineat, quod

pars inferior a musculis sursum, atque in fibulam attracta ab ipsa secedit. In hisce rerum adjunctis extremitates fractas in contactum adducere, atque continere ope positus recti difficile est, nec nisi adhibitis in ossa nuda compressionibus plerumque impatibilibus, atque a diris inflammationibus, longis suppurationibus, ossium corruptionibus vix non semper subsecutis aliquando cum membri deformitate, utplurimum extremitatum fractarum superpositione, fracta coagmentantur. Haec ex adverso tuto praevertuntur mala, si positurae semiflexae demandatur membrum. In isto, uti in suprامemoratis casibus, musculis remissis, extremitates fractae propria gravitate inter se congruere coguntur.

Observatio.

Anno 1814 die 24 augusti accitus fui ad Joannem Baptistam Laugero, a Stroppo, 20 supra 9 annos natum, cruris sinistri fractura adeo complexa affectum, ut omnibus attritis partim, partim violenter ablatis momento, quo de alto praerupto monte ruit, partibus mollibus, quae tertiam tibiae partem intermediam internam, et aliquantulum posteriorem tegunt, extremitas superior oblique a parte anteriori ad posteriorem infracta, et in mucronem fastigiata ob id enormiter in partem internam promineret, et vulnus amplum, altum, herbis, fœno, et terra ex integro repletum circumscriberet, quod extremitas inferior comminuta sursum, atque in fibulam attracta quinque circiter

digitorum transversorum longitudine a superiori distabat. Exportatis volsellarum, atque cultri ope octo fragmentis pollicari latitudine, atque longitudine, quae partim segregata, partim textubus circumambientibus ope periostei, atque textus cellulosi contritorum continua in vulnere haerebant, vulnere sordibus optime mundato, et ob nimiam anguli inferioris tensionem, et fragmenti superioris extra vulnus exstantis ad inferioris contactum reducendi caussa inferius dilatato, necnon ratione et via linteis carptis medicato, rigidam commendavi diaetam, membrum 18 capitum fasciis obvolutum, atque in assulis contentum recto positui tradidi, et frigidis irrorandum esse remediis imposui. Postera die mihi albente aurora ad aegrotantem impatibili dolore fatigatum accersito, superior fracta extremitas acuminata (*bec de flûte*) in carnes anguli inferioris vulneris praegresso die dilatati alte infixa se se obtulit. Nulla impertita mora fracta recompono: pulvillos hic illicque adpono: nil reliqui facio, quod ad ipsa continenda conducit: at actum ago: etenim sive sursum attraheretur extremitas inferior, sive deorsum illaberetur superior, jugiter vel istam in parte inferiori vulneris modo paullo anterius, modo paullo posterius confixam, vel partem inferiorem membri ob lacerationem ingentis numeri vasorum lymphaticorum ad infarctus jam pronorum enormiter tumentem cum compressionem fasciarum ope ultra quam par sit, strictiorem adhibebam, visere peraegre occurrebat. Nil ad-

juvantibus fasciis, pulvillis, compressionibus, exstantis ossis extremitatis resectione a recto toties extremitates fractae dimovebantur situ, quoties ipsas recomponebam. Ad methodum extensionis permanentis confugere jam tum erat animus, nisi ob nimiam partium mollium dilacerationem irritam cedere, vel intollerabilem fore praevidissem. Trahebam cum animo meo, praestaretne amputationem instituere, an non: at me difficilem reddiderunt non tam aegrotantis repugnantia ob nondum obliteratam memoriam proximorum dolorum, quam libido experiundi quantum difficili in casu Pott methodus valeret. De hac Chirurgum Claudium Ponte virum probum, consultum, in omnibus Chirurgiae partibus, speciatim vero in ea, quae ergà fracturas versatur, expertissimum, de patria, de parente optimo, quem a complexa cruris fractura gravissima feliciter sanavit, de me optime meritum alloquor, annuit. Vir clarissimus: membrum semiflexioni committitur; res ex sententia succedit, namque superior fracti ossis extremitas proprio pondere in inferiorem attracta nunquam ab ipsa in posterum recessit, atque opportunis artis praesidiis una in usum vocatis ante quintum transactum mensem, etsi plura ossa secessissent, salus ita restituta, ut modo optime valenti Laugero non secus pene ac alterum, quo digito transverso circiter curtius est, crus laesum inserviat.

Quamquam, uti in mox allata observatione, quammaxime prosit methodus semiflexionis in tibiae fra-

ctis obliquis etiam cum extremitas inferior infracta versus fibulam adducitur (quod adjunctum ipsius utilitatem quadantenus declinare videtur, nam pertimescenda est ejus conglutinatio ope calli materiei cum fibula, cujus pedisequae sint motus artus laesiones, vel imperfecta extremitatum fractarum consolidatio, quod ipsae inter se non respondeant); profitendum est attamen, multo majorem praestare hanc methodum utilitatem in tibiae fracto obliquo, in quo extremitas inferior fracta versus partem internam cruris eminet, quippequae semiflexo crure, et relaxatis musculis in superiorem versus fibulam conversam proprio cadit pondere, ipsique intimius adhaeret, ac si ibidem exstaret superior extremitas.

4.° In tibiae fractura cum partium mollium dilaceratione in parte postica recto utiliorem semiflexum positum se se praestare neminem fugit: in illo partibus vulneratis non solum mederi non potest, sed diu compressae irritantur, degeneres fiunt etc.; in isto ex adverso ipsis compressione immunibus facile medetur vel semicanalem loco vulneri respondenti complanando, uti ipse feci in modo recensita observatione, vel longum foramen, aut incisuram in ipso instituendo.

5.° In valgis, atque varis ob caussam captu facilem recto quoque positui semiflexus videtur anteponendus. Ipsum utiliter adhibitum vidi in viro agricola, valgo, Valetta nomine, a Rivarossa, 56 annos nato, et in lecto 54, Clinices olim Antecessoris mei SCA-

vini in Nosocomio Divi Joannis ob fractum obliquum medietatis femoris cubante, a quo optime convaluit.

6.° Uti in cruris, ita et in fractis obliquis vel internis vel externis coxae vix non semper utilior deprehenditur methodus semiflexionis. Plusquam viginti observationibus, quas in Nosocomio Divi Joannis habui, in medium adductis assertum comprobare possem, ni angusti vetarent speciminis limites; id dumtaxat addam in tanto observationum numero, me nullum observasse aegrotantem, qui de aliquo ex tot incommodis a methodi osoribus exaggeratis conquereretur.

7.° Sunt quidam femoris cervicis ob sedem paucis perviae remediis fractura laborantes, praesertim senes praecipites, quibus taedio est continuata extensio artus, quod, contractis inflammationibus, gangraenis a constanti decubitu, vel compressione in aliquam partem ab apparatu continente exercita, virium inclinatione, dispepsia, gravi anxietate, inconnivis vigiliis, profunda moestitia, quam identidem arcessito somno fallunt, corripiuntur, citissima fit alvus, et aliquando postremam explent diem. Hasce aerumnas ut praecaveant Chirurgi, ab initialibus symptomatum enarratorum diebus artum ab omni vinculo solvere assolent, subsequente perfecta claudi-tate, quam jugiter minorem cum semiflexo positui commissum fuit membrum vidisse laetus recordor.

IX. In amborum artuum inferiorum fractis simulta-

neis, in horum fractis a vulnere faciei externae consociatis, in fractis adeo obliquis, ut nullo alio pacto, nisi permanente extensione, contineri ad libellam patiantur, atque in fractis transversis non conducere dictam methodum supervacaneum dicere existimo.

X. Quænam ex dictis methodis alteri palmam præripiat in fractis cum amotione extremitatum fractarum versus anteriorem, vel posteriorem artus partem, usquedum non sancivit observatio, rem ideo in medium relinquam.

XI. Operis pretium foret, singulis omnium fractorum adjunctis naviter scrutatis, convenienter, justeque statuere, quandonam semiflexionis, quando recti positus methodus magis conferat; at timens haec non perscrutabor.

XII. Caeterum, vel ex iis, quae hactenus, licet primoribus labiis, adumbravi quid de semiflexionis congruentia, vel incommodis in omnibus fractis sentiendum sit, quadantenus deprehendi posse non arduum duco.

XIII. Specimini finem imponens abs re non esse puto, si coronidis ergo Chirurgiae asseclas admoneam, scite ipsos subdiffidere debere de nonnullis praeceptis, quae passim ab aliquibus in methodum, de qua controversia cadit, traduntur: nam alta mente quisque repostum habere debet, si plura sunt methodi Pott incommoda, longe majora ex ea commoda esse speranda, in quae si opportune peritus Clinicus legat, et aegrotis utilis evadet, et meritam gloriam Auctori restituet.

EX MATERIE MEDICO-CHIRURGICA.

DE MOXA.

Moxam, et cœtera cauteria a Veteribus maximi habita, nimium heu! nuperiorem aetatem neglexisse dolendum. Maximo apud Scytas, et Nomadas in pretio fuisse cauteria, Hippocrates refert, qui, ut lienis physconias solveret, sinistro corporis lateri cauterio apposito, plagam imprimebat. Themison, ut hepatis reseraret obstructiones, dexterum inurebat hypochondrium. Regionem costalem phthisicis comburebat Euriphonius. Incolarum Javae, tum et populorum generatim omnium, qui orientales incolunt plagas, medicinam in carnium adustione, et causticorum usu consistere, ait Hombergius. Apud Lapones Suecae medicinae nescios, medicisque carentes, moxam, aliaque remedia herculeum praestare remedium, docet Linnæus. Qui diu penes Ægyptios, et ad Cayrum degit, Prosper Alpinus, cauteria, et moxam dictas gentes magni facere, quin et ignem ad omnia mala desperata sananda accommodatissimum habere, tradit. A memoratorum placitis, et auctoritatibus recedunt Viri in arte celebratissimi; hos inter referas summum caeteroquin Dionis, qui de caustica adustione, et moxa disserens, dum instrumenta ad id operis comparata suis osten-

debat alumnis, sic eosdem alloquebatur: *c'est plutôt pour vous en donner de l'horreur, que pour vous conseiller de vous en servir.* Dionis sententiam tacito comprobat La Faye, nec longe recedit Sharp, qui decretoria voce cauterium antiquat. Verum Marcus Aurelius Severinus, Chirurgos remedium a Veteribus ceu Divinum praedicatum negligentes, duplici modo culpandos contendit, de ignorantia videlicet, vel de mala fide: de ignorantia, si ipsos fugit virtus remedii; de mala fide, si a praeconcepta hypothesi fascinati, ne aliquid detrimenti propria patiatur fama, remedium negligunt, quod efficacissimum sciunt. Propriis insuper fretus observationibus Severinus, cauterium ab oblivionis injuriis liberare avens, de momentosissimis ejusdem utilitatibus, se vera esse locutum, testem advocat Deum. Hisce permota vocibus Chirurgica Parisiensis Academia, quo veritas in propatulo poneretur, anno 1753 hanc solvendam quaestionem, proposito proemio, vulgavit: « le feu, ou cautère actuel » n'a-t-il pas été trop employé par les Anciens, et » trop négligé par les Modernes? En quel cas ce » moyen doit-il être préféré aux autres pour la cure » des maladies Chirurgicales, et quelles sont les raisons » de préférence »? Ignem nimium neglexisse Clinicos respondebant; fateri attamen cogimur, plurimi eumdem non esse faciendum respondebant, quos corona donatos legimus. Huic proposito alludens Pouteau, scribit: » on pourrait encore proposer cette question à re» soudre: la pratique des Anciens, qui brûlaient avec

» le feu les parties attaquées d'humeurs rhumatis-
» males fixes, n'a-t-elle pas été trop abandonée par
» les Modernes » ? Fluit ex allatis, non omnes nuperos Scriptores ignis utilitates ceu probatas habere. At amabo, cur tanto cum emolumento et nostris hisce diebus ad plurimos superandos quadrupedum morbos in usum vocatur ? Nonne vel ex hisce utilitatibus, qui ab hoc abhorrent remedio, culpandi patescunt ? Nonne, vel ipsis dissidentium pensitatis sententiis, affirmari posset, Chirurgiam hac in re inopem abundantiam fecisse, ut aliis verbis jam scripserat Plinius ? *Posteris laxitas mundi, et rerum amplitudo damno fuit.* Concludamus ergo, Neotericos ignem perperam neglexisse, quacumque moti ratione neglexerint *1. Hoc ego remedium cum Veteribus, et Severino utile habens, de moxa, ejusque usibus paucula dicam.

I. Moxae nomine venit quaedam grisea lanugo, ex artemisiae vulgaris foliis contusis, tritis et carmine tractis decerpta, quae instar pyramidis unciae longitudinem habentis contorta, atque filo obvoluta alicubi

---

*1 Huc perbelle faciunt verba Pouteau : « l'on s'est rendu
» coupable envers l'humanité en proscrivant un remède,
» qui promet des guérisons lors même, que tous les autres
» moyens de guérir ont été sans effet. La découverte de
» quelques remèdes aussi sûrs, et moins douloureux que
» le feu pouvait seul autoriser à condamner un moyen de
» guérir, qui présente des ressources inespérées. Mais par
» malheur en nous dépouillant d'un côté on ne nous a point
» enrichi d'un autre ».

cutis vel sola, vel gummi arabici, aut tragacanthis, vel salivae ope affigitur, accenditurque, quo, dum lente, et sine flamma ab igne absumitur, caloricum evolvatur, quod sensim, alteque subjectas compenetrans partes, ac cutim, quin graves progignat dolores, in escharam convertens, ulcus ea decidua gignit uberem humorum copiam effundens. Hac cauterii specie utuntur Sinenses, atque Japonenses: at quoniam memorata folia non semper in promptu habentur, ita eumdem ut obtineant effectum, agaricum Lapones, xili lanuginem Arabi, Persaeque, junci cujusdam speciei medullam sexami oleo imbutam quidam populi Indiae Orientalis, non minori cum fructu adhibent. Pari cum successu cannabi, lino, et alicujus scirpi medulla hac nostra in regione utuntur quidam Chirurgi.

II. Ut moxa cuti inurendae adhaerescat, ipsius basim, vel cutim, saliva oblinire moris est. Supradicto modo inhaerentis cuti moxae extremitati alteri ignis accenditur, acuiturque ope lenis flatus, vel a flabello, vel a chartae crassae motu exciti. Cum calor cutim compenetrare incipit, humor exprimitur, qui moxae basim humectat, ipsamque firmius cuti figit. Caeterum una, duae, vel tres, et ultra moxae eodem tempore variis in sedibus, vel plures alia post aliam eadem in sede, cum pars affecta alte est locata, admoveri possunt.

III. A veritate aberrasse Antiqui videntur, cum moxae usum, prout hac, vel illa conficitur substantia, varios consequi effectus sunt rati: quippe sub-

stantiae, quibus constat moxa, quaeque utpote ignis pabulum haberi possunt, suas proprietates partibus cauterio tactis non impertiuntur. Porro, siqua hinc oritur differentia, haec a majori, vel minori calorici copia, tum et a celeritate, qua partibus organicis communicatur, unice repetenda.

IV. Moxa heroïcum praestat remedium sequentibus in rerum adjunctis: 1.° in tumoribus albis sic dictis. Hujusce auxilio in clinica externa Nosocomii Divi Joannis homines periculosis hisce morbis affectos, et pene desperatos, a clarissimo Antecessore Scavini de me optime merito, perpetuaque benevolentia colendo, pluries feliciter curatos vidisse, gratus recordor: 2.° in morbo coxario, praesertim cum femoris caput non est e propria sede detrusum: 3.° in cyphosi sic dicta paralytica Pott: 4.° in omnibus ischiadis speciebus, sed praesertim in musculari chronica: 5.° in doloribus rheumaticis antiquis, uti pluribus miris sanationibus in propatulo posuit Cl. Pouteau, qui moxae usum tunc cum dolores non sunt fixi prohibet: 6.° in chronicis physconiis viscerum in abdominis cavitate contentorum: 7.° in spinaventosa, pedarthrocace, exostosi: 8.° in pectoris doloribus rheumaticis fixis, et tabes symptomatibus jamjam stipatis, ut Hippocrates admonuit, atque sequens Galeni observatio confirmat: » Evagorae filius Cynesias e morbo laterali aridus, » crura gerens calamacea, puris expers tabis nuncius, » pluribus escharis corpus inustum in concionem

» prodiit » : 9.° ubi puris in abscessibus frigidis contenti absorptio, excitis vasis lymphaticis, est promovenda: 10. in lentis glandularum infarctibus, necnon in morbis chronicis textus cellulosi, in quibus praesertim ipsius turgendi languet facultas.

V. Generatim vero constitui posse putamus, moxam maximi esse adjumenti quotiescumque vel a morbo chronico afficitur aliqua pars adeo alte posita, ut a nullo alio stimulo, nisi a calorico omnium principe, cui nulla est praeclusa via, excuti patiatur; vel in morbis partium illarum, quae pigrum, viscidumque continent humorem, quaeque nimiopere enervis viribus pollent, atque ob perpessum morbum debita cohaesione carent; vel demum cum mitiora, semper anteponenda remedia, sine emolumento adhibita fuere, juxta illud Hippocratis: *quae remedia non sanant, ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ignis sanat.*

VI. Quoniam omnes morbi, in quibus moxa utilitatem pollicetur, lenta inflammatione in initio stipantur, ita in hac morbi periodo caute cum moxa mercandum esse, supervacaneum dicere duco. His igitur missis monitis, pauca nunc de moxae actione attingere operis pretium existimo.

VII. Antiqui caloricum utpote panchrestum ferme habentes, ipsi plures medicamentosas facultates tribuebant, quas sequentibus succosis verbis graphice descripsit Pouteau: « évacuer, résoudre, fortifier, » et ramollir, diviser, et altérer, dessécher, relâ-

» cher, servir d'aiguillon, et d'anodin, voilà l'esquis-
» se des propriétés admises par l'antiquité dans les
» effets de la cautérisation. » At non longe a veritate aberrasse antiquos, sequentia monstrabunt.

VIII. Moxae actio haud differt a calorici actione, estque, adnotante AMBRI, vel chimica, vel vitalis. Caloricum vel moderate supra textus organicos agit, tuncque ipsorum robur adauget, vel immodicum est, et tunc textuum, quos tangit, vitam omnimode destruit: utrumque praestat moxa effectum: nempe calorici e moxa evoluti actio lenta est, paullatim increscens, et cauterii candentis actione magis protracta, ita tamen, ut partes, quibus admovetur, in escharam convertat, illisque, quae profundius locantur, excitationem a sedibus externis ad magis altas sensim crescentem impertiatur. Re ita perspecta, utilitates, quas praestat in morborum supra memoratorum curatione caloricum e moxa comburente evolutum, ad sequentia capita commode referri posse, quicumque facile videt:

1.° Intensum caloricum, quod e moxa evolvitur, omnium textuum, quos penetrat, vitales proprietates adauget: id Scythas non latuisse videtur, qui aliquas partes solo ipsas roborandi scopo sibi adurebant; id plures observationes morborum asthenicorum hocce praesidio sanatorum confirmant; id tandem Cl. Antecessor SCAVINI in suo opere *Sull'efficacacia del calorico nella cura delle ulcere*, perbelle hisce adnotat verbis « . . . . . anzi io osservai nella

» donna di Barge, che essa si trovava più sollevata
» quando non solo nel moncone, e nella coscia cor-
» rispondente, ma per tutto il corpo sentivasi que-
» sta piacevole impressione riferibile certamente all'
» azione vitale eccitante del calorico penetrato attra-
» verso la fungosità, e diffusosi a tutto il sistema. »

2.° Humores rarefacit, liquidioresque reddit, efficitque, ut a bibulis osculis vasorum lymphaticorum, quorum actionem eodem tempore acuit, facilius, promptiusque absorbeantur, proindeque textuum relaxationi favet.

3.° Ipsius auxilio non paucae humorum particulae per auras verruntur, sicque exsiccans fit.

4.° Solidorum cohaesionem adauget. Hoc autem ne pro paradoxo habeas, vetant sequentia: etsi sane non secus ac liquida, solida a calorici actione rarefiant, attamen quoniam ipsius auxilio humores magis rarefacti, in parte congesti, partim per auras, partimque promptius per vasa lymphatica magis quoque voracia facta disperduntur, ita ab ipsorum praesentia expediti solidi textus, caetera a calorici stimulo excitatiores facti, antea comparatam rarefactionem amittunt, sensim contrahuntur, majoremque cohaesionem nanciscuntur.

5.° Dolores lenit, fugatque, ob id sive, ut ait Pouteau, « qu'il divise, décompose, et dé-
» place les fluides pervertis, qui irritent les nerfs »; sive, et id probabilius, quod contra-irritando praeternaturalem nervorum sensibilitatem moderatur,

mutatque, dicerem, quia distensionem imminuit; at ipsius anodyna vis tam cita est, ut quo tempore se prodit, nullam cohaesionis imminutionem adhuc suspicari sit locus.

6.° Eschara decidua, de qua superius, a partibus sanis secreta, ulcus remanet, a quo uberrimum effunditur pus, quodque vix non semper auxiliatur, vel quia maleficis humoribus in parte stagnantibus aditum parat, vel affluere ad partem morbo implicatam tendentes, cum ipsius levamine e corpore dispellit *1.

---

*1. Huc faciunt, quae ad rem tradit Cl. POUTEAU : « L'agitation tumultueuse occasionnée dans la partie échauffée » par la cautérisation, peut être comparée à celle d'une » fièvre aigüe. L'action et la réaction fortes, et réitérées » des vaisseaux, lesquels dans une fièvre aigüe agitent, » et divisent les sucs contenus dans les vaisseaux, ainsi » que ceux qui sont renfermés dans les cellules tant mol» les, qu'osseuses du corps animé par la fièvre, sont un » dispositif nécessaire pour la crise, et la dépuration qui » doit terminer la maladie. C'est un grand secret en mé» decine, lorsqu'on a des maladies chroniques à combattre, » de savoir exciter le degré de fièvre nécessaire pour la » coction des humeurs dépravées, et leur dépuration. La » Chirurgie, toujours sûre dans ses procédés, trouve dans » la cautérisation un excellent moyen pour exciter une » fièvre locale, qui procurera à la partie malade tous les » avantages, qu'on peut espérer des fièvres générales si » efficaces pour la guérison d'un grand nombre de maladies

IX. Hisce sedulo ad trutinam revocatis, haud amplius mirabimur, Antiquos ad caloricum tamquam ad sacram anchoram confugisse illos curaturos morbos, quorum elementa constituunt tum summa virium dejectio, textuumque relaxatio, tum humorum tenacium, pigrorum, maleficis principiis haud infrequenter imbutorum, et textuum vires praefocantium infarctus, inveterati, lenti, consuetique affluxus, pedissequus, illos, uno verbo, in quibus quammaxime conferunt actuosissimi stimuli, quos inter efficacissimum esse caloricum, nemo dubitat unus.

X. Qui porro potentissimum remedium a Chirurgia expungere sunt nisi, de propria erubescentes pervicacia, animum in sequentia pluries laudati celeberrimi Pouteau verba intendant, ubi ait: « Les » éloges, que les Anciens ont fait du feu, sont plus » sensés que le mépris, qu'en ont montré quelques » Modernes; ce n'est pas le défaut de succès, qui » a fait mépriser l'efficacité du cautère actuel; mais » l'abandon d'un si grand remède n'est dû qu'à la » pusillanimité du siècle, et plus encore à la fai- » blesse des Médecins, et des Chirurgiens.

» chroniques. La suppuration qui suit la cautérisation n'est » ici, comme on le voit aisément, qu'un remède secon- » daire, mais le plus souvent très-utile.

EX MEDICINA OPERARIA.

DE METHODO BAYNTONIANA.

Chronica artuum inferiorum ulcera Chirurgiae Antistitum ingenia jugiter torsisse, atque ob inania conamina tum in artis dedecus, tum in aegrotantium egestate pressorum, quos frequentius prae aliis multant, infortunium saepe cessisse, nemo chirurgicis in disciplinis vel leviter informatus revocabit in dubium. Post sexcenta irrita tentamenta, post millena unguenta, cerata, cataplasmata, tincturas incassum tentata ad haec curanda, novam, eamque utilitate praedivitem expertus est methodum praeclarus Anglus Chirurgus Baynton, quae Bayntoniana ab inventore nunc temporis salutatur. Efficacissimam tanti Viri methodum, cujus ope omnia pene ulcera, dummodo non nimis recentia, irritata, inflammata, vel ab interna labe pendentia, quin aegrotans lectulo defixus cubet, brevi sanantur, quae facile, et levi cum dispendio desperatum, dixerim, morbum incantamenti ad instar levat, quae plurima praestat commoda iis, quorum angusta res domi est, sibique et familiae per proprios labores prospicere debent, primus, prout sciam, maximo cum artis, et aegrotan-

tium emolumento hoc nostro in Pedemontio, atque in Taurinensi Divi Joannis Nosocomio eo praeciso tempore in usum vocavit Cl. Professor Geri, quo sacri laudati Hygiae templi alumno mihi debitas aegrotis suppetias ferre forte erat concessum. De methodi, quam multoties utilem vidi, praestantia plane persuasus, Chirurgorum animos in eamdem pluribus avertendis periculosis operationibus *1 comparatissimam intendere avens, de Bayntoniana methodo, de modo ipsam admovendi, de ejusdem agendi ratione, et commodis paucula dicam.

I. Bayntoniana methodus audit chirurgica operatio, qua fascia diachylone gummoso, aliove rite obducta, ita arcte sanando ulceri circumponitur, ut uniformem, ac constantem supra ipsum, proximasque partes exerceat pressionem, aërique aditum praecludat. Quo id assequaris, telam diachylone gummoso rite obductam in totidem taeniolas pollicem latas, sex pollices circiter, vel paullo magis, quo tota circumvolvi queat

---

*1 Gambino Joannes, a Podivarino, foenisex, 46 suae aetatis annum agens, optimam constitutionem a natura sortitus, cubat in praesentiarum in lecto 69 Clinicae operariae Nosocomii Divi Joannis prae ulcere tam alto, lurido, et lato, ut paucis ante diebus jamjam de membro servando desperaretur. Ex Cl. Professorum vices gerentis D. Baroveri consilio methodus Baynthoniana in usum trahitur: ulcus continuo in melius mutatur, omniaque promptam sanationem pollicentur.

pars, longas abscinde, mox, pilis partis derasis, ea arte admove, ut prioris taeniolae pars media incidat in partem sanam inferiori ulceris angulo oppositam, margo inferior membrum circumambiendo pollicem circiter subter inferiorem ulceris angulum collocetur, ac tandem extrema sensim sensimque supra ulcus trahantur, ac decussatim aliud supra aliud superimponatur, eo servato in extensione gradu, qui normam morbosae sensibilitatis, qua laesa pars fruitur, non praetergrediatur. Post primam fasciolam novas alias, donec totum ulcus, atque artus a pollice circiter subter angulum inferiorem ad tres usque supra superiorem cooperiantur, ita superimpone, ut omnes invicem tangantur, atque superioris inferior margo superiorem marginem inferioris, atque ita porro, embricum in modum obtegat. Hisce peractis, ac cylindracea forma inferiori membri parti linteorum *2 ope conciliata, fascia tres pollices lata, quatuor, vel quinque ulnas, vel ultra etiam, pro re nata, longa membrum a digitorum radicibus ad partem usque superiorem, retusis dolabris pressim obvolve, ut hinc efficacem, facile tamen ab aegroto ferendam, compressionem obtineas. Magis pressis, atque propinquioribus factis dolabris hanc validiorem efficies adhuc, si de die in diem, atque pro opportunitate taenio-

*2 Haec linteamina tuto omitti posse, dummodo ligatura sit rite peracta, pluribus observationibus innixus pronuntiare haud haereo.

larum extrema et validius trahas, et ad angulos magis acutos decusses.

II. Hujuscemodi medicationes matutinis prae aliis diei horis instituendae sunt : bis autem de die si magnam puris copiam *1 ulcus effundat ; semel si minimam : morbo vero ad finem vergente, atque ulcere pene exsucco, singulo tertio, quarto, vel etiam quinto die hac arte medendum. Caeterum tum hae, tum supra memoratae regulae pluribus sunt obnoxiae exceptionibus, vel modificationibus plerumque impraevisis, difficileque aptis verbis describendis, queis pro re nata consulere prudentem decet, expertumque Chirurgum.

III. Has inter exceptiones reponi possent dolores, et exulcerationes a comprimentibus fasciolis in partes ulcus circumambientes, speciatim vero in prominulas eminentias tendinis Achillis, malleolorum etc. productas. Incommodo hac de caussa venienti linteis tenuissimis supra has partes impositis occurrendum : praestat etiam similia mollia linteamina partibus ulcus vallantibus jam nimis irritatis admovere, quo ulterior ceratorum cum cute contactus cohibeatur, indeque timenda mala avertantur.

---

*1 Puri uberrima copia confecto nonnisi magna cum textuum offensa, eo vel magis si acris, et ichorosus est, supra partem immoranti, taeniolis huc illucque pertusis, aditum parat Cl. Professor Geri.

IV. Bayntoniana methodus non tantum cruribus, sed et aliis corporis partibus cum fructu potest aptari, et

Primo. Ubique supra universam capitis superficiem, ubi eadem utilis indicabatur, cum fructu institutam vidi *1: etsi vero numquam eam supra faciem viderim peractam, dummodo ad rationis normam usuveniat, et ibi facile admoveri, et adjumenti esse futuram facilis puto *2.

---

*1 Casus hujuscemodi se mihi obtulit observandus in Nosocomio Majori D. Joannis. Venereum ulcus, quo foemina laborabat, quodque verticis maximam tenebat partem, atque subterpositis erosis ossibus duram meningem detexerat, ubi primitus luxuriantes hypersarcoses in ejus superficie se obtulerunt per Bayntonianam methodum tractatum, brevi feliciter ad cicatricem fuit adductum. Peculiaris hic casus, in quo alterni cerebri ascensus, et descensus in propatulo erant, quam veritati consona sit sententia a Richerand erga cerebri motus proposita, quamque utilis hisce in casibus Bayntoniana methodus, mihi perquam aperte demonstravit.

*2 Ab ulcere mali moris in parte laterali dextera faciei supra ascendentem ramum maxillae inferioris sito praeter modum luxuriantem carnem omnibus remediis reluctantem facili negotio cohibitam ope methodi Bayntonianae se in quadam Judaea vidisse, mihi humanissime communicavit S. R. M. Archichiriater, et amplissimi Chirurgiae Collegii Præses, et Regens Ballarini, quem nominare, laudare est.

2.° Utilem et vidi in curandis ulceribus submaxillarem regionem occupantibus, ut sequens testatur observatio. Serena Petrus Antonius a Villanova Astensi, 7 supra 20 annos natus, ob dolorificum infarctum glandularum submaxillarium caussam syphiliticam agnoscentem receptus fuit in Bogetto Regii Nosocomii Charitatis. Interea dum interna labes fugatur idonea curatione, cataplasmata emollientia tumori admoventur: paullo post tumor fluctuans factus cultri ope reseratur: hic illicque continuo emergunt omni lege solutae carnes, et adeo lascivientes, ut nullo coërcendae remedio luxuriarent, et in enormem fungum degeneres factae, foetus capitis magnitudinem adaequarent. Sub hisce adjunctis, etsi cuncta male ominari viderentur, etsi spes multo asperior esset, non tanti attamen fuit, ut summorum Virorum Garneri, et Barovero salutiferae arti ibi addictorum patientia, atque sollertia vinci pateretur: quapropter magnes arsenicalis *1 in usum trahitur; ab ejus usu nimiae carnes deprimuntur quidem, sed ex integro non absumuntur: tunc Cl. Professorum vices gerens Doctor Barovero methodum Baytonia-

---

*1 Praedicto in casu magnetem arsenicalem se adhibuisse, suadente Cl. hujusce amplissimi Collegii Doctore Rapetti Regii exercitus ultimo in Gallos bello Chirurgo primario, veritatis laude, ingenueque fassus est supra laudatus D. Barovero.

nam in usum trahit, luxuriantes comprimit carnes, brevique istae exsuccae evanescunt.

3.° Etsi magis incommoda, utilis attamen non raro visa in dorsi ulceribus.

4.° Cl. Professore Garneri supralaudato experiente, utilis et cessit in ulceribus pectoris, et abdominis parietes occupantibus, licet juges, quibus sub respirationis vicibus exagitantur motus, vanam eam viderentur ostendere.

5.° Neque a recensitis abludunt utilitates, quas in curatione ulcerum chronicorum superiores artus occupantium haec pollicetur. Porro quum assiduae, et validae compressiones, quales obtinent supra humeri condylos tum excoriationes, tum dolores producere possint ab illis non absimiles, quos §. 3 in malleolis saepe produci memoravimus; patet ideo, et cautelas ibi propositas numquam esse negligendas.

V. Quaecumque porro sit corporis pars, supra quam Bayntoniana methodus instituatur, siqua occurrunt adjuncta non facile praevidenda ab aegrotantis constitutione, a forma, positu, directione ulceris, a membri conformatione pendentia, tunc artis prudentiam sedulus consulat Chirurgus, ut sciat pro re nata necessaria addere, inutilia detrahere, verbo methodum ita modificare, quo tandem votis respondeant effectus.

VI. Bayntoniana methodus plures praestat utilitates; eminent sequentes:

1.° Ipsius auxilio atonica ulcera pene semper subrotunda, ideoque ex Clinicorum consensu sanatu difficilia, post tempus brevissimum angulosam formam sanationi valde propitiam nancisci, praxis testatur.

2.° Quae sub hac methodo obtinet cicatrix utpote a circumpositis tegumentis maximam partem facta minus lata, magisque firma evadit, ac illa, quae a luxuriante, et densato regenito textu celluloso conficeretur.

3.° Haec ipsa methodus aegrotantes lectulo non obstringens, efficit etiam, ut sexcenta mala a decubitu, et stataria vita oriunda eo tempore declinent aegroti, quo suos in usus maximo cum fructu deducunt commoda omnia, quae a levibus in aëre libero, et sub dio institutis deambulationibus, tum ab aëre puriori respirato percipi queunt.

4.° Nimis atonici partis laesae textus maximam puris saniosi, ichorosi, paeminosi, acrisque copiam cum totius constitutionis discrimine praebentes, accommodate ab exercita compressione fulti, robore crescunt, et promptius, meliusque humorum circuitum promovent; imminuitur idcirco miraculi in modum effusio materiei purulentae, quae eodem tempore minus foetens fit, indolisque melioris.

5.° Dolor, ipsiusque improbae sequelae (§. 14, thes. 5) brevi remittunt, et aeger placido diu cupito somno antea arcessito membra tradens restauratur, ciborum appetentia stimulatur, omnesque paucis functiones melius persolvit.

6.° Callosae excrescentiae cicatrici valde obsistentes, quibus ulcerum atonicorum margines vix non semper deturpantur, et contra quae indigesta remediorum farrago commendabatur, dicta methodo, nullo alio adhibito remedio, vel praepediuntur, vel exortae cito dispelluntur.

7.° Lascivientes carneae productiones vix non semper edaci caustico, aliisque cohibendae, quibus tegi assolent ulcera chronica veteri methodo medicata, Bayntoniana prorsus compescuntur.

8.° Adeo prompte, et constanter a circumferentia ad centrum ulceris proficiscitur cicatrix, ut de die in diem circino dimensa, longe alias praebeat dimensiones, uti a supralaudato Cl. Professore Geri factum fuisse, recordor.

9.° Ulcerum atonicorum lurida, vel pulla superficies brevi subrubellum induit colorem, sive quod viscida emplastra ipsi supraposita meliceridis speciem, qua obvolvuntur, auferant, sive quod ob irritationem, quam inducunt, textus cellulosi sensibilitatem acuant, unde major sanguinis affluxus.

VII. Ad ulcera chronica sananda primitus dumtaxat adhibita methodus Bayntoniana, feliciter in posterum in usum advocata fuit ad universam pene, eamque immensam ulcerum iliadem, aliosque diversi generis morbos fugandos, uti sunt ulcera recentia vulneris, vel combustionis, aliusve laesionis pedisequa, infarctus pendentes ab atonia vasorum lym-

phaticorum post contusionem *1, luxationem, diasthasim, fracturam etc. *2, attamen, quoniam sub emplastrorum usu ulcera aliquando submolesta sensatione, et inflammatione nimiis corripiuntur, nimiopere calent, latius refricantur, dirosque dolores procreant eo vel magis si recentia sunt, ita, quin emplastra, vel fasciae removeantur, methodus proscribatur, aut alio pacto utilitates, quas praestat imminuantur, receptum est, has turbas cohibere auxilio remediorum antiphlogisticorum, qualia sunt praeparata saturnina, acidum aceticum, et prae omnibus aliis aqua frigida, quibus magis, vel minus frequenter pro majori, vel minori symptomatum vehementia irroratur apparatus ulceri superpositus, sicque, quin methodi usus suspendatur, dictae turbae vix non semper compescuntur. Reticendum non est, ablutionibus frigidis momentosissimum hoc inhaerere incommodum, quod linteamina madida relaxentur,

---

*1 Quamquam methodus Bayntoniana per se impar est ad sananda ulcera proficiscentia a labe interna non adhuc debellata, attamen et in hisce rerum adjunctis caeteris medicationibus utentior fuit deprehensa.

*2 Ad promovendam adhaesionem parietum abscessuum simplicium, qui obtinent circa partes ulcere, vel vulnere correptas quamvalde proficua cessit compressio exercita ope methodi Bayntonianae. Ad rationis normam non dissimiles exhibere debet utilitates in abscessibus proficiscentibus a primitiva inflammatione textus cellulosi.

et sat idoneam, requisitamque non amplius exerceant compressionem.

VIII. Caeterum, etsi lotionum frigidarum auxilio supramemoratae plerumque cohibeantur turbae, attamen non pauca ulcera, praesertim recentia sub methodo Bayntoniana, ipsarumque usu ita recrudescere sunt visa, ut jure statui possit, methodum antiquam in ulceribus chronicis, inertibus curandis Bayntoniana longe inferiorem, in sanatione ulcerum recentium adhucdum non esse despiciendam. Consultus, gnarusque Chirurgus utraque pro re nata utatur.

IX. Quae de methodi Bayntonianae utilitatibus hactenus disputavi, in medium adductis numerosis observationibus in Nosocomio D. Joannis habitis, ultra possem comprobare, nisi proposita brevitas obstaret, ni summorum Virorum *1 praxis sat superque pro nobis pugnaret; hinc de iis dicere supersedemus.

X. Id unum coronidis ergo addam, multa perfectiora in rebus chirurgicis aetatem praestitisse, atque vetusta ulcera, contra quae antehac irrita contemnen-

---

*1 Praeter laudatos methodi Bayntonianae fautores, alii maximi nominis Chirurgi adsunt in hoc nostro Pedemontio, quos methodi praestantia non fugit, quique totis viribus ipsam propagare annituntur, inter quos praestant Cl. Professores Tartra et Crosetti.

da, et ignominiosa pro nobili arte prorsus cedebat unguentorum farrago, *tuto*, *cito*, *jucunde* faustissimo omine nunc consanari.

V. BALLARINI Praeses ac Regens.

V. POLLANUS a consiliis.

V. BERGONTIUS a consiliis.

Imprimatur:

Peyron pro M. Cancellaria.

INDEX.